M. 20. 605 n. 4

MARTINI CRVSII, GRAECOLATINI ET ORATORII IN ACADEMIA TVBINGENSI PROFESSORIS, DE IMP. ROM. FRIDERICO AHENOBARBO, vel BARBAROSSA, & Studioſorum priuilegijs officijsque, Oratio.

HABITA IN XXXXI. MAGISTRORVM CREATIONE XI. Cal. Septemb. CIↃ IↃ XCIII. Tybingæ.



TYBINGAE
Apud Georgium Gruppenbachium,
ANNO M. D. XCIII.

1.

NOBILIBVS,

EGREGIAEQVE SPEI ADOLESCENTIBVS, LVDOVICO ET MELCHIORI IÆGERIS, Fratribus: Magnifici & Nobilis viri, D. MELCHIORIS IÆGERI à Gærtringen, in Höpfingen & Aeningen, intimi Illuſtriſsimo Duci Vuirtembergico Conſiliarij, filijs:

MARTINVS CRVSIVS
S. per Chriſtum precatur.

QVEMADMODVM PRIMAM ORATIOnem, in præſenti Philoſophicæ Facultatis Decanatu à me die D. Catharinæ habitam, adoleſcentibus generis & eruditionis nobilitate eximijs, Dominis HOHENFELDERIS & ENENCKELIIS, dicaui: ita hanc tertiam & poſtremam hoc tempore Orationem, in renunciatione multorum Magiſtrorum ex parte recitatam, ſimiliter ad adoleſcentes quoſdam nobilitate conſpicuos, ſpemq́; per bonam profectus in literis & virtute præbentes, dirigendam iudicaui.

Hi autem vos eſtis, nobiles & præſtantes adoleſcentes, LVDOVICE MELCHIORQVE IAEGERI: qui præſenti tempore in Illuſtriſsima Tybingenſi Academia, liberalibus ſtudijs operam nauatis: domiq́; Clariſsimi Iuriſc. & Profeſſoris ordinarij, Illuſtriſsimo Duci à Conſilijs, D. MATTHAEI AENTZLINI, vbi optima cernitis viuendi exempla, viuitis: ac proinde ſocero quoque eius, excellenti Iuris anteceſſori, & ſapienti Vuirtembergico Conſiliario, D. NICOLAO VAREMBTLERO, de me ſæpius præclarè merito, curæ eſtis. Meritò ego laudati nominis veſtri rationem habeo: quòd Nobilis magnificusq́; pater veſter, & ipſe olim hîc ſtudia gnauiter ſectatus eſt: & perpetuo me fauore, etſi non promeritum, complectitur. Itaque ſi non magnam, ſaltem aliquam grati animi ſignificationem: eamq́; erga vos, paternarum virtutum laudumq́; imitatores & hæredes, à me fieri decet.

Prima Oratio Auguſtam I R E N E N *laudauit, natione exteram & Græcam, Cæſaris Philippi coniugem optimam: hæc* F R I D E R I- C V M I. *Ahenobarbum, natione indigenam & Sueuum, cui Beatrix eximia vxor fuit, laudat. Illa Oratio, dedicatione ad exteros inſignes adoleſcentes exiuit: hæc, inſcriptione ad indigenas egregios adoleſcentes domum reditionem facit. Illa Irenen ornauit, id eſt,* P A C E M, den Friden: *hæc Irenoplusiū decorat,* P A C I S *diuitem,* Keiſer Fridreichen. Εἰρήνη (*inquit Nazianzenus*) τὸ γλυκὺ ϗ ὄνομα ϗ πρᾶγμα: *Pax, dulce & nomen & res. Ac verè. Pax enim beatam facit rem tum publicam, tum priuatam. Pax verò, quæ pijs per Chriſtum cum Deo eſt (inquit Apoſtolus) exuperat omnem mentis cogitationem.*

Accipite igitur, Nobiles honeſtiſſimiq́; adoleſcentes, munuſculum hoc Fridericianum à me oblatum, bona mente: in quo non ſolùm vita, & præcipuæ res geſtæ, eminentiſſimi Auguſti Friderici, vobis delectationi eſſe poſſunt: ſed illa etiam, quæ de Studioſis, eorumq́; priuilegijs & officijs, addita ſunt, ætati inſtitutoq́; veſtro conueniunt.

Chriſtus Opt. Max. vos, chariſſimosq́; parentes veſtros, paternè tueatur. Idem beneficentiſſimus pacis inter Deum & homines reſtitutor: poſt priorem illum pium pacificumq́; inclyti Ducatus huius Rectorem, bonorum omnium perfugium clementiſſimum, Principem L V D O V I- C V M, *cum Deo iam, quem vera religione coluit, beatum æuum agentem: nunc alterum hunc & nouum* F R I D E R I C V M, *pietate & pace diuitem Reipub. Eccleſiæq́; gubernatorem, clementer à Deo nobis ſubſtitutum, feliciter pacificeq́; in longa tempora conſeruet.*

Amen. Tybingæ Calend. Septemb.

CIↃ IↃ XCIII.

MAR-

MARTINI CRUSII
DE IMP. ROM. FRIDERICO BARbaroſſa, & Studioſorum priuilegijs officijsq́;, Oratio.

QVANQVAM ME NON SVEVICA TERra in lucem protulit: ſed ad Franconicum ſolum natales mei referuntur: tamen cùm maiorem partem ætatis meæ, in Sueuiæ ciuitatibus egerim: mihique multa benignè in hac terra ſint facta: dare aliquam, quantam poſſem, grati animi ſignificationem huic inclytæ nationi, ſemper mihi in ſtudio fuit. Itaque partim in erudiendo bonæ ſpei iuuentutem (Memmingæ quidem, quinquennium: Tybingæ aũt, iam quatuor & triginta annos) Latinè Græceque docendo, ſummâ diligentia & fide verſatus ſum: verſaborque, quoad mihi vitam cœleſte numen prorogauerit: partim ſcribendo multa & varia, in artibus, in dicendi ratione, in Poëſi, in hiſtoria, ipſaque profeſſionum omnium Regina S. Theologia, prodeſſe multis pro meo modulo conatus ſum: nullumque in ea re laborem ſubterfugi: nec omnino etiam infelices, diuinâ gratia, meas actiones ſenſi: cuius gratiæ benignitati, omnia ſunt accepta referenda.

I. EXORDIVM.

φιλοσυνηθία τοῦ λέγοντος.

Hoc etiam ſexto in facultate artium Philoſophiæq́; Decanatu meo, ſemel atque iterum de illuſtribus Sueuis mihi dicere libuit: nec ingratas quoque fuiſſe eas Orationes multis, ijsq́; claris viris, doctiſque iuuenibus, animaduerti. Quare ne hodie quidem, quando adhuc vnam præſentis officij ratio à me Orationem flagitat, clariſſimæ gentis Sueuicæ obliuiſci poſſum.

Dixi autem proxima Oratione, cùm tres & triginta adoleſcentes ſecundâ laurea eſſent ornandi, de Illuſtriſſimo Vuirtembergiæ Principe Eberhardo, huius nobiliſſimæ conditore Academiæ. Dicam nunc, quando maiorem iam honeſtæ & eruditæ

Tranſitio à ſuperiori Oratione.

eruditæ iuuentutis numerum (veluti lætam frugiferæ æſtatis ſegetem) eoſdem cum ſuperioribus honores accepturæ, rurſus in hunc ſplendidiſsimum locum produxi, de alio Heroë: nempe de quodam celeberrimi nominis Imperatore Romano: qui rerum geſtarum magnitudine, quaſi ad cœlum extulit populum ſuum Sueuicum. Is eſt FRIDERICVS, magnus Auguſtus Romani Imperij: Fridericus eius nominis primus. Fuit hic ex inclyta Hohenſtauffenſium Prócerū ſtirpe oriundus: fuit eximij Cæſaris Philippi, de quo in ſereniſsimæ Imperatricis IRENÆ Oratione, multa à me dicta ſunt, pater laudatiſsimus. Conuenientia eſt ei cum noſtro, quem proximè laudauimus, Eberhardo. Dictus eſt enim Eberhardus, quòd præter morem ſui ſeculi barbam gereret, Barbatus: dictus eſt Fridericus, quòd rufam haberet barbam, ab Italis Barbaroſſa. Vterque, bellicoſus (quanquam Fridericns, pro magnitudine ſtatus & dignitatis ſuæ, bellicis laudibus longè magis cumulatus) vterque pius, prudens, iuſtus, temperans. Vterque denique (id quod magis ad rem præſentem, inſtitutumque noſtrum, facit) doctrinarum, hominum doctorum, ſcholarum & ſtudiorum iuuentutis, fautor, patronus, ad communem rei Chriſtianæ vtilitatem emolumentumque adiutor egregius. Verùm in hoc felicior maiorque, Eberhardus noſter: cui Deus tantæ ſcholæ in patria fundandæ (ſicut Oratione proxima audiuimus) occaſionem facultatemque dedit. Fridericus verò, Italicis bellis, & Pontificum Rom. malignitate, nimiùm impeditus fuit: quemadmodum non multò pòſt cognoſcetur. Fecit tamen, & contulit ad ſtudia, quantum potuit.

II. PROPOSITIO.

De Friderico Ahenobarbo dicetur.

Comparatio eius cum Eberhardo Barbato.

De hoc itaque Friderico, tanto Imperatore, verba nunc faciam: & quidem celeberrimo die faciam: quo tantam eruditorum Magiſterij Philoſophici Candidatorum, vt dixi, ſegetem hîc ſtatuimus: & quidem tempore optimę ex agris perceptæ meſsis (pro qua cœleſti patri gratias, ex tam diuturna rerum caritate difficultateque maximas agimus) ſegetem, ceu ſpicis rerum laudabilium horrentem, in tanto, & tam præclaro, excellentium auditorum ſpectatorumque, cœtu ſtatui-

Seges eruditæ iuuentutis, præſens.

ſtatuimus. Dignum profectò hoc illuſtre theatrum tanto Imperatore: dignus, tantus Imperator tam illuſtri theatro. Vt enim nuper Aula Philoſophiæ Profeſſorum, ædificatione & coloribus ex vetere & obſcura, noua & luminoſa aula facta eſt: ideoque meritò nunc AVLA RENOVATA appellatur: ita præſenti tempore Aula quoque noua, quanquam ſatis antea pulchra & ſpectabilis, ad illuſtrius decus & ſplendorem, ædificando & exornando, ad noſtræ renouatæ Aulæ exemplum, vocatur. Quod optimo certè iure fit: cùm in ea, tum ſacroſancta Theologia, ſincerè feliciterque doceatur: tum omnium facultatum Doctores, Philoſophicique Magiſtri, creentur. Gauderet itaq; hoc ita conſpicuo loco, vt Princeps Eberhardus, ita etiam Imperator Fridericus, ſi adeſſe liceret: gauderetque toto animo: Vuirtembergenſique familiæ Illuſtriſsimæ gratularetur. Sed ad inſtitutum Orationis noſtræ reuertendum eſt. Primariorum Auditoriorum renouatio.

Tria autem Oratio complectetur noſtra. Primùm, vitam ipſius Friderici (ex magna copia rerum, notabiliores tantùm res excerpendo) vt ex perſonæ huius præſtantia, pietate, ſapientia, fortitudine, & liberalia ſtudia promouendi voluntate egregia, tantò maior dignitas concilietur honeſtis ſtudijs: quæ tantus etiam Imperator magnopere promota voluerit. Deinde, exponet eiuſdem humaniſsimam, de priuilegijs Studioſorum agentem, conſtitutionem. Tum, ad ſtudioſæ iuuentutis officia, & ad præſentem cœtum candidatorum, Orationis curſum deflectemus, ibique terminabimus. A te, magnifica, ampliſsima, ornatiſsima, & humaniſsima concio, reuerenter peto eandem, quam præcedentibus temporibus expertus ſum, audiendi clementiam & benignitatem. III. PARTITIO.

Dabo operam, ne inutilis, nec iniucunda, hæc quoque ſit auſcultatio.

Vt igitur à Friderici Auguſti vita Orationem auſpicer: natus eſt is anno Chriſti milleſimo, centeſimo, vigeſimo primo, Fridericus ſcilicet noſter: ex Hohenſtauffenſi Friderico Luſco, vel vni oculo: & ex Iuditha, Bauariæ Ducis Henrici Nigri filia: quæ fratres habuit, Guelphonem VI. Bauariæ, Spo- IIII. CONFIRMATIO. I. VITA FRIDERICI Barbaroſſæ.

Spoleti, & Sardiniæ Ducem, Tuſciæ Marchionem: atque Henricum, cognomento Superbum, Ducem Saxoniæ. Perhibuit ſe Fridericus, ex Principbus Vuaiblingenſibus, qui ex
Genus eius. Franciæ occidentalis genere Clodoueano & Carolino erant, originem ducere. Ab Vrſpergenſi ſanè Abbate ſcribitur: ſuo adhuc tempore (qui circa M. CC.XXX. annum Domini vixit) prope villam Vuaiblingam (quæ hodie oppidum Vuirtembergiæ eſt) monumentũ quoddam, ad inſtar turris fuiſſe: in quo verba inciſa fuerint: CLODIVS HOC FECIT VXORI SVÆ. Fortaſsis ergo Vuaiblingæ nomen, quaſi Vuaiblinga eſt: ab vxore Regis Clodouei, vel Ludouici Magni, Crotilde Burgunda. Sueuiæ nanque is dominatus eſt: cùm Sueuos vndequingenteſimo anno Chriſti, cruento prælio victos ſubegiſſet: exindeq; Rectores huic prouinciæ præfeciſſet: quorum in familia ſucceſsio, hæreditaria tunc non erat, ſicuti poſterius & hodie. Ex qua Sueuorum calamitate, etiamnum ſeruitutis & ſeruorum reliquiæ manent: quos, Leibeigne Leut appellamus.

Fuit igitur Fridericus genere antiquiſsimo & nobiliſsimo Francico natus. Qualis antiquitas & nobilitas generis, etſi non magni fieri ab homine ſtudio ſapientiæ dedito, apud
In Theæt. vixit autem Plato ante Chriſtum 350. Platonem ſcribitur (cùm ſcilicet ſeptem auos nobiles & diuites familię ſuæ iactare, ſit ἀμβλὺς ἔπαινος, laus obtuſo viſu præditorum: qui non poſsint εἰς τὸ πᾶν βλέπειν, longè in rerum vniuerſitatem reſpicere: vbi cuique hominum fuerint innumeri Maiores, alij Principes, alij ſubulci) etſi Philoſopho, inquam, talis nobilitas ieiunum quid & exiguum videtur: tamen in populo etiam Dei Hebræo fuerunt nobiles viri, nempe Principes, qui multitudini præerant, tempore legiſlatoris
Prouerb. 22. Solomon, ante natalem Chriſti 1010. Moſis. Secuti ſunt Proceres, qui Iudices vocabantur: ſecuti ſunt Iſraëlitarum & Iudæorum Reges. Atque vt alios, diuites: alios, pauperes, Dominus facit: ita alios etiam, Principes: alios verò, ſubditos. Vtrorumque coniunctione, operaque mutua, vita terreſtris continetur.

Educatio Friderici. Educatum porrò omni cum fide diligentiaque fuiſſe puerum Fridericum, dubium eſſe non poteſt. Priſci quidem Sueui,

ui, præſertim qui ante Chriſti tempora fuerunt, ad arma tantùm tractanda (quemadmodum ex Corn. Tacito patet) à pueris erudiebantur: & Lacones ſimiliter, carminum bellicorum Tyrtæi cantu, ad fortitudinem exacuebantur. Qui Tyrtæus, etſi initiò Grammaticus fuerat: tamen ἀγαθὸς dicebatur à Leonida, Spartano Rege, καλλύνειν νέων ψυχάς: αὐτοῖς διὰ τῶν ἐπῶν ὁρμὴν ἐμποιῶν πρὸς τὰς μάχας: idoneus iuuentutis ad præliandum incitator. Fridericum verò, non ſolùm in armis, verùm in literis etiam, morumque decentia, inſtitutum eſſe, veritati conſentaneum eſt. Latinæ enim linguæ non ignarum fuiſſe, legimus. Et, quàm bene moratus fuerit, ex progreſſu vitæ ipſius ſatis clarum erit.

De mor. German. vixit Corn. Tacitus 112. Chriſti.

Plut. πότερα τῶν Ζώων φρονιμώτ. vixit Plutarchus 120. Chriſti.

Bella autem, adoleſcens adhuc, ſtrenuè geſsit. In Bauaria quidem, Comitem Vuolfratshuſenſem Henricum ſuperauit: & Comitem Dachouienſem Conradum cepit, ac benignè liberaliterq; dimiſit. Potentem Ducem Burgundiæ minoris, vel Helueticæ (hodie Aergæa & Vuiflisburgergæa eſt) Burgundiæ, Conradum Zæringenſem, ad deditionem anno M. C. XXXIIX. compulit: atque Tigurum etiam in poteſtatem redegit. Quas res nomine patris ſui Friderici Luſci, & patrui Conradi (Imperium Romanum tunc gerentis) geſsit. Vrit autem maturè (vt prouerbio dicitur) quod vult vrtica manere. Νεανίας ἄρτι ὑπηνήτης, κατὰ τῶν φυτῶν τὰ εὐγενῆ καρπογονεῖν πρὸ ὥρας ἐπαγγελλόμενος (vt Nicetas Choniata loquitur) adoleſcens nuper pubeſcens, fructum, ceu generoſa planta, ante tempus pollicens.

Res in adoleſcentia geſtæ à Friderico.

Manuel. Comnen. lib. 6. vixit Choniata 1204. Chriſti.

Anno XLVIII. ſupra vndecimũ Chriſti ſeculũ, Fridericus (patre eius recens mortuo) interfuit expeditioni ſacræ: quam patruus ipſius Rex Conradus in Orientem ſuſceperat: vt vrbi Hieroſolymæ ſuccurreret: quæ antea M. XCIX. anno, à Gotefrido Bilioneo armis recuperata, periculo tũc Saracenorum expoſita erat. Quam militiã nobiles etiã fœminæ Alemannicæ, religionis aut virorũ ſuorum amore, ſecutæ ſunt. Equitabant aũt more virili: nempe οὐ συμβάδην, ἀλλὰ περιβάδην, τὼ πόδε: non cõiunctis, ſed diuaricatis, pedibus: ὁπλοφόροι καὶ κοντοφόροι, καὶ ὅλως ἀῤῥενικὸν βλέπουσαι: armatæ & haſtatæ, martiũ quid &

Profectio illius Hieroſolymitana cum patruo R. Conrado.

Chon. de Man. Imp. lib 1.

acerbũ tuentes: vt apud Choniatam eſt. Sapienti certè Platoni placuiſſent hæ mulieres: quippe qui κοινῇ βούλεσθαι συστρατεύεσθαι τὰς γυναῖκας: ϗ πρός γε ἄγειν τῶν παίδων εἰς τὸν πόλεμον, ὅσοι ἁδροί: ἵνα, ὥσπερ οἱ τῶν ἄλλων δημιουργοὶ, θεῶνται ταῦτα, ἃ τελεωθέντας δεήσει δημιουργεῖν. Vult, vt vnà cum viris militent mulieres: quæ etiam robuſtiores puerorum in bellũ adducant: vt, ſicut aliarum rerum opifices, ipſi etiam ea videant: quæ à ſe, adultioribus factis, fieri oporteat. Adeo à teneris conſueſcere, multum eſt: vt à Poëta dicitur. Et ab Ariſtotele: οὐ μικρὸν διαφέρει, τὸ οὕτως ἢ οὕτως εὐθὺς ἐκ νέων ἐθίζεσθαι: ἀλλὰ πάμπολυ, μᾶλλον δὲ, τὸ πᾶν. Non parui, ſed magnopere, imò omnino, refert: vtrùm ſic, an ſecus, ſtatim à puero aſſueſias.

Plat. πολιτ. ε.

Virg. Georg. 2. Qui obijt anno 16. ante Chriſtum.

2. Ethic. Nicom. 1.

Vixit Ariſtoteles 350. Chriſti.

Anno poſtea M. C. LII. Cæſare Conrado, qui multa laudabiliter fecerat, rebus humanis exempto: & (vt Nauclerus vult) Lorchæ ſepulto: Fridericus noſter, concordibus ſuffragijs Francofordiæ 3. Non. Mart. electus eſt ſucceſſor Imperij: quòd illuſtrem genere virtutibusque iuuenem, reique publicæ perutilem futurum, viderent Principes: & hac ratione etiam æmulationem, quæ diu inter duas magni nominis familias, Vuaiblingenſem & Guelphonicam, durauerat, ſublatum iri ſperarent. Sic non tam ſplendidi generis eius, quàm publici boni, rationem duxerunt. Et rectè. Publica enim re ſalua, ſalui ſunt ſimul ſinguli ciues: vnius verò tantùm hominis ratione habita, non ideo benè eſt Reipublicæ. Τοῦ μὲν κοινοῦ καλῶς τιθεμένου (inquit, de virtutibus ſcribens, Georgius Gemiſtus Pletho) αὐτό τε, ϗ τὸ κοινὸν, σώζεσθαι μάλιστα πέφυκε: τοῦ δὲ ἰδίου, διισταμένου τοῦ κοινοῦ, ἀμφότερ' ἀπόλλυσθαι.

Fridericus, Rex Rom. factus.

Vixit hic anno Domini 1440. Præceptor Beſſarionis.

Profectio Friderici in Italiam prima.

Imploratus à ciuitatibus Italiæ, quibus intoleranda videbatur inſolentia & violentia Mediolanenſium (Laudenſi, Papienſi, & alijs) Fridericus, anno M. C. LIIII. valido cum exercitu per Tridentinam vallem, menſe Octobri, Alpeis transgreſſus eſt: tum vt Mediolanenſes caſtigaret: tum vt illa, quæ de Imperio (præcipuè per Nortmannos: Apuliam, Calabriam, & Siciliam, tenentes) detracta erant, reſtitueret: tum vt Imperatoria corona à Pontifice Max. ornaretur. Quam ob cauſam, in Roncaliano campo (non longè à Placentia ſupra Padum)

Roncaliæ.

Padum) caſtra locauit, morem ſequens taliũ candidatorum. Vbi ligno in altum erecto, ſcutum ſuſpendi ſolitum eſſe, ſcribit Friſingenſis Otho: eoque omnes equites, qui beneficia ſiue feuda haberent, ad excubias proxima nocte Principi faciendas, per Aulicum præconem expoſci ſolitos. Qui non adeſſet, beneficio priuatum fuiſſe.

Friſing. 2. lib. 12. vixit temporibus Imp. Friderici 1.

Forma caſtrorum, in eo loco poni ſolitorum, ſic à Gunthero deſcribitur.

Ligurini lib. 8. Guntherus, etiam huius Friderici tempore.

Semper in æquali Romanus tendere miles,
Si patitur natura loci, planoq́, laborat, &c.
Protinus in quadram vergentia, ſiue rotundam,
Pro ratione loci, ponit tentoria formam.
Principis, in medio, digno ſpectanda decore,
Caſtra nitent, celſi ſpeciem referentia Templi.
Quem circa Proceres, condigno iuris honore
Cuilibet exhibito, propius ſeu longius abſunt.
Inq́, modum magnæ ſpecioſis frontibus vrbis
Dirigit immenſas ad portam porta plateas, &c.

Rebus ibi non paucis fortiter geſtis: Romam L V. anno verſus tendens, à Pontifice Hadriano IIII. obuiam egreſſo, coronam petijt. Vbi cùm ſiniſtram illius ſtrepam, id eſt, ſtapiam (honorare Sanctiſsimum volens) pro dextra tenuiſſet: reprehenſus ab ipſo eſt (ex præcepto B. Petri: ὑποτάγητε τῷ βασιλεῖ, ſubdimini Regi) tanquam non exhibuiſſet debitam B. Petro reuerentiam. Rex ſe ignorantiâ erraſſe reſpondit. Neque enim Scholam tenendi ſtrepas frequentaſſe.

1. Pet. 2.

Cùm à Legatis S. P. Q. Romani, qui à Pontifice coronatum iri ægrè ferebant, moneretur: vt ſineret eos more antiquo per Conſules, Prætores, & Tribunos plebis, Rempub. gerere: atque inſuper libras argenti quinquies mille ipſis ſolueret (tum enim adiutores coronæ, & dicto audientes, habiturum) graui reſponſo petitionem illorum abnuit. Fuiſtis olim, inquit, Romani. Detraxit tibi poſtea, ô Roma, Græcus, deinde Gotthus & Longobardus, ac poſt eos Francus, coronam. Penes nos GERMANOS nunc omnia ſunt: Senatus veſter, Conſules veſtri, equites veſtri. Procerum Germanorum Con-

Roma, anno 751. ante Chriſtum à Romulo & Remo condita.
Inde Reges 7. Conſules primi ante Chriſti. 507.
Monarchiæ Rom. inceptor, C. Iulius " Cæſar, ante natalem Chriſti " anno 46.
" 2. Friſing. 21.
" Imperium Rom.

 ſilijs

adepti: Conſtantinus Magnus, 310. Domini. Odoacer Herulus, 480. Oſtrogotthus Theodoricus, 498. Longobardus Alboinus, 570. Imperium Rom. penes Germanos, Carolo Magno 800. Chriſti imperante.

Ligur. lib. 3.

„ filijs Reſpub. regitur: iuuenum Alemannorum robore Imperium defenditur. Non dediſtis nobis Imperium: ſed Carolus & Otho armis id adepti ſunt. Nec vltrò venerunt, ſed veſtro vocatu: vt Deſiderios & Berengarios cohercerent. Argentum porrò, Roma, exigis à tuo Principe, tanquam captiuo? Nec plebis eſt, leges ſuo Principi præfigere: nec à me pecuniam exigi volo: ſed ſponte mea liberaliter & magnificè largiri ſoleo.

Apud Guntherum multa ſunt: inter quæ, & hæc:

Nil, niſi gratuitò, manus hæc dare nouit, & vltrò.
Iuramenta petis? Regem iurare minori,
Turpe reor. Nudo ius & reuerentia verbo
Regis ineſſe ſolet, quouis iuramine maior.
Non decet, in labijs verſari lubrica Regis:
Non decet, ore ſacro mendacia cudere Regem, &c.

Hac Alemannicus excelſi animi heros oratione, Legatos Romanos facilè protelauit. Vnde ne Sacerdotis quidem Romani, Germanis attributi Rom. Imperij gloriam eſſe, manifeſtum eſt. Vnde nec diligi potuiſſe à Papis, generoſos hos Sueuiæ magnates (vt qui frequenter Imperio tuendo augendoque ſtuduêre contra ipſos) liquidum eſt.

Coronatio Friderici Pontificia.

Coronatus poſtea Fridericus Romæ eſt à Pont. Hadriano 14. Cal. Iul. maximo ſplendore: ac poſt plures res feliciter geſtas, in Germaniam eodem anno redijt.

Sequenti M.C.LVI. anno, pœnas impoſuit Moguntino Archiepiſcopo Arnoldo, & Palatino Comiti Hermanno: eò quòd, dum ipſe in Italia abfuiſſet, illi contra publicam pacem inter ſe prædationes & incendia feciſſent. Pœna fuit vetere conſuetudine, CANVM PORTATIO. Canem igitur Palatinus, tantus Imperij Princeps, per integrum milliare Germanicum portare coactus eſt: tum ipſe, tum decem ſocij ipſius, Comites generoſi. Pro Epiſcopo autem, vt reuerentia erga Pontificalem ordinem ſeruaretur, canes portati ſunt à generoſis quibuſdam Comitibus; nec ad longum tamen ſpatium.

κυνοβαστάξια. 2. Friſing. 28.

Deiecit quoque arces aliquot prædatrices, & prædæ receptatrices, hinc inde diſcurrens, idem Imperator: ceu diligens & attentus paterfamiliâs: ſuos & bonis augens, & à malo defendens. Tantum in eo pacis & ſecuritatis, omnium & ſingulorum, retinendæ ſtudium erat. Sciebat enim illud Solomonis: Regis officium eſſe, diſsipare impios, & inijcere eis rotam: vel incuruare ſuper eos fornicem. Prouerb. 20.

Duxit idem in matrimonium, Reinaldi Matiſconenſis Burgundiæ Comitis filiam, nomine BEATRICEM: nuptiaſque eodem hoc LVI. anno Herbipoli, Regali magnificentia, multorumque Principum præſentia, celebrauit. Quæ cùm vnica patris ſui hæres eſſet: ditionibus eius ipſe poſtea auctus eſt. Genuit aût ex Beatrice plures filios: Fridericum, Ducem Sueuiæ: Henricum, VI. huius nominis Imperatorem: Conradum, Sueuiæ Ducem: Othonem, Burgundiæ Comitem: & Philippum, Rom. Regem, Græcæ Irenes Angelæ maritum. Alios denique liberos. Friderici coniux, Beatrix.

Venerunt ſequenti anno Herbipolin, Imp. Græci Manuelis Comneni Legati, munera Imperatori noſtro ferentes. Qui cum inflati ſuperbiâ, Imperatorem ſuum ſupra Fridericum, velut inferiorem Regem (ſemper enim adhuc Occidentis Imperium ſibi Græci, vt quondam cum Orientali vnum, deberi arbitrabantur. Sic & Turcæ hodie) cùm Manuelem, inquam, ſupra Fridericum efferrent: hic indignè id factum ferre, & iraſci. Precibus tamen & lachrymis eorundem, ac maioris in poſterum reuerentiæ erga VRBIS ORBISQVE Dominum promiſsione, placatus fuit. Oriens, Occidentem regendi cupidus. 1. Radeuic. 6. Temporibus Friderici.

Reliquerat moriens Conradus Rex filium adoleſcentulum Fridericum, Ducem Sueuiæ: qui tunc, Imp. Fridericum orantibus illis Legatis, gladio accinctus, ac militiæ honore decoratus, eſt: tanquam ſi primâ laurea donaretur. Matertera nanque eius BERTHA (Imp. Manuelis coniux, Græcis Irene dicta: Sultzbachenſis in ſuperiore Palatinatu Comitis Berengarij filia: ſoror Gertrudis illius, quæ Regi Conrado fuerat nupta) multis & magnificis muneribus adoleſcentulo miſsis: eum hoc honore affici voluerat. Illis quippe tempori- Dux Sueuiæ Fridericus, Friderici Imp. patruelis.

 bus,

bus, & ſuperiore propiore adhuc ſeculo, Principes etiam ſæpe gradum equitum aurigerorum (ſed & honorum Scholaſticorum) aſſumebant. Vixit adhuc anno Chriſti M. CCC. LXXX. Georgius Dux Teccenſis: qui fuit Theologiæ & Canonum Doctor. Hodie, & Equitum & Doctorum tituli, apud nobilitatem exoleſcunt.

Incidit eodem anno, inter Pont. Hadrianum, & Imp. Fridericum (cùm hic Veſontione Burgundiæ conuentũ ageret) grauis offenſio. Cardinalibus enim duobus presbyteris miſsis: conqueſtus erat Pontifex de iniuria cuidam Epiſcopo facta: & Imperatori per literas, Imperialis coronæ à ſe factam impoſitionem exprobrauerat: atq; ad tres inſuper Archiepiſcopos Germaniæ ſcripſerat, his verbis.

Diſsidium inter Imperatorem & Papam.

Auent. 6.

» Rex Teutonicorum, non antè, quàm ab Apoſtolico coronetur, Imperator vocatur. Ante conſecrationem, Rex: pòſt, Imperator. Vnde igitur habet Imperium, niſi à nobis? Ex electione Principum ſuorum habet nomen Regis: ex conſecratione noſtra, habet nomen Imperatoris, & Auguſti, & Cæſaris. Ergo per nos Imperat. Sicut Zacharias Papa tranſtulit Imperium à Græcis ad Teutonicos: ita nos poſſumus ab Alemannis transferre ad Græcos. Ecce, in poteſtate noſtra eſt, vt demus illud, cui volumus. Propterea cõſtituti à Deo, SVPER GENTES & Regna: vt deſtruamus, & euellamus, & ædificemus, & plantemus.

Anno Chriſti 752. Pipino electo Rege Franciæ (Merouingorum genere abrogato) poſtea Pipini F. Carolus Magnus 800. Domini, Cæſar I. Germ. factus eſt.

Congruenter ſcilicet dicto Chriſti: VOS AVTEM non ſic.

Matth. 22.

Non tulit hæc abſurda & ſuperba, prudens & animoſus Auguſtus: ſed pro maieſtate Imperij, & ſuo honore, ſtrenuè propugnans, literas paſsim per Imperium circummiſit: in quibus inter alia, hæc quoque verba erant.

I. Radeuic. 10.

» Legati Apoſtolici, quaſi de mammóna iniquitatis inflati, de altitudine ſuperbiæ, de faſtu arrogantiæ, de execrabili tumidi cordis elatione, legationem Apoſtolicis literis conſcriptam nobis præſentauerunt, Imperialis coronæ collationem obijcientibus. Certè ad vocem illam nefandam, & omni veritate vacuam: non ſolùm Imperialis maieſtas indignationem

Imperium non datur à Papa.

nem concepit: verùm omnes Principes, qui aderant, tanto furore & ira ſunt repleti: vt ſine dubio illos duos iniquos Preſbyteros, mortis ſententiâ damnaſſent: niſi hoc noſtra intercepiſſet præſentia. Hos, ne per ſingulas Eccleſias Teutonici Regni virus ſuum ſpargerent (ſicut tales hactenus ſoliti ſunt) ne altaria denudarent, vaſa domus Dei aſportarent, cruces excoriarent: eâdem via, qua venerant, Romam redire iuſsimus. Ac dicimus, A SOLO DEO nos habere Regnum & Imperium. Ideo nobis & Imperio de illata ignominia cōdolere vos hortamur. Honorem enim & libertatem Eccleſiarum, iamdudum INDEBITÆ SERVITVTIS IVGO depreſſarum, è manu Aegyptiorum ſtuduimus eripere. D. Petrus inquit: Deum timete, Regem honorificate. Ergo, qui nos Imperialem coronam pro beneficio à Domino Papa ſuſcepiſſe dixerit: diuinæ inſtitutioni, & doctrinæ Petri, contrarius eſt: & mendacij reus erit. 1. Pet. 2.

Apud Guntherum, inter alios hi verſus ſunt. Ligur. lib. 6.

Num Petrus, aut Clemens, num cætera turba priorum
Sceptra Latina dabat? Romanus tempore priſco
Pauper erat præſul. Regali munere creuit:
Non tamen, vt faſces, & Regni iura Latini,
Vel dare præſumat, vel cuiquam tollere poßit, &c.

Et de Legatis.

Optabant miſerum premere atque exugere Clerum:
Diuinas ſpoliare domos, ſecumq; referre,
Quo nunquam ROMANA SITIS ſatiabitur, aurum.

Quid huic nobiliſsimo Sueuo, pietatis amantiſsimo Principi, auctoritatis Imperij Germanici conſeruandæ ſtudioſiſsimo Heroi, defuit: niſi diuinus puræ religionis ex S. literis patefactor & reſtitutor, MARTINVS LVTHERVS?

Anno autem ſequenti LVIII. ille, de quo diximus, Pontifex, ſuum intelligens erratum: miſsis alijs duobus Cardinalibus: Imp. Fridericum, caſtra in Auguſtanæ vrbis campo habentem (parabat enim nouam expeditionem in Italiam) commoda ſcriptione, & leni oratione, placauit. Quòd enim coronam Fridericus à Papa accepiſſet: id non, tanquam benefi- Reconciliatio inter Cæſarem & Papam. 1. Radeuic. 22.

beneficium, ſiue feudum, intelligendum eſſe: ſed, tanquam benefactum, ſeu bonum factum. Inde namque Beneficij vocabulum eſſe. Et verbo collationis coronæ, tantùm ſignificari honorificam coronæ impoſitionem. Macte. Beneficio Grammaticæ, vulneri imprudenter facto, medicina callidè facta eſt. Sed concordia tamen poſtea non cohæſit.

Imperator dein, comitatus Rege Bohemiæ: & Friderico, Duce Sueuiæ Franconiæque, Regis Conradi filio (qui plerunq; Rotemburgi ad Tubarum habitabat) comitatus item Palatino Rheni Conrado: multisq; Prælatis, Marchionibus, & nobilibus: iisque ex Sueuia, reliqua Germania, Bohemia, Vngaria: per Alpium fauces, ſub finem menſis Maij, in Italiam deſcendit: vrbem Mediolanum inobedientem, & ſubinde nouas res molientem, exercitu amplius centū millium armatorum obſedit: poſt multosque conflictus, durioribus conditionibus, ſed iuſtis, in deditionem accepit. Non extirpauit eos, quanquam meritos, ſed clementer conſeruauit. Quod à Poëta Statio in generoſo animante Leone laudatur: dum inquit:

Secunda Friderici in Italiam profectio.

Theb. 8. Statius 90. anno Christi vixit.

——————Si decidit hoſtis:
Ire ſuper ſatis eſt, vitamq; relinquere victo.

Laudenſibus, vt tutiores poſthac aduerſus Mediolanenſes, ſi quid ab eis noui tentaretur, eſſent: nouum oppidum, amne Abdua circumdatum, maximis ſumptibus condidit. In conuentu deinde, quem Roncalianis in campis egit, Italiam bonis legibus, recta iuſtitiæ adminiſtratione, ſollicita bonorum Iudicum paſſim conſtitutione, beneuola rei ſcholaſticæ prouiſione (de qua ſuo loco dicam) laborioſè & præclarè, cum admiratione cunctæ præſentis multitudinis, inſtructam temperatamque reddidit. O magnum & laudabilem Principem: qui iuſta tantùm bella mouet: hoſtibusque ſuperatis & pacatis, paci otioque conſulit: & ad ſalutem ciuium, ciuitatumque incolumitatem, & vitam hominum tranquillam, bonas atque ſalutares leges condit. Hoc eſt illud nobiliſſimi Poëtæ:

Aeneid. 6.

Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

Tertia

Tertia dehinc Friderici expeditio Italica, anno LIX. ſecuta eſt: quòd, ſicut interdum febris ὑποτροπιάζει, recidiua fit: ita Mediolanenſes rurſum defecerant ab Imperio: deque periurio accuſati, reſponderant: ſe iurauiſſe quidem, ſed iuramentum ſeruaturos nō promiſiſſe. Cuiuſmodi eſt illud Euripidis:

Tertia expeditio In Italiam.

2. Radeuic. 25.

ἡ γλῶσσ᾽ ὀμώμοχ᾽: ἡ δὲ φρὴν, ἀνώμοτος:
Iuraui lingua, mentem iniuratam gero.

In Hippol. coronato.
Eurip. 470. ante Chriſtum.

Verùm non benè periurium illis ceſsit. Etſi enim diu reſtitêre: cladibus accipiendis & inferendis (ſicarijs interim vno & altero, nempe Morione & Venefico, ad Imperatorem interimendum, nequicquam ſubornatis & ſummiſsis) tandem tamen intolerabili obſidione & eſurie preſsi: deditionem 3. die Mart. anno M.C.LXII. facere, & ſe victoris arbitriò permittere, coacti ſunt.

Gunth. lib. 9.

Tunc igitur ἐς τὰ ἔσχατα νοσήματα (vt apud magni nominis Medicum eſt) αἱ ἔσχαται θεραπεῖαι, extremis deſperatiſ-que morbis extrema remedia & curationes, adhibitæ ſunt. Vrbs videlicet ipſorum, deleta: mœnia, templa, baſilicæ, domus ciuium, proſtrata: aratrum, per vrbis aream decuſſatim tractum: ſal in ea, ne quos terra proferret amplius fructus, diſſeminatum: magna multitudo hominum vtriuſque ſexus, genere & opibus antehac præſtantium, in Alemanniam exterminati. Imperator poſt hæc in ciuitate Papienſi, die reſurrectionis Chriſti, re diuina facta, cum vxore Beatrice coronatus, quadam triumphi ſpecie inceſsit: magnificum Proceribus epulum in Epiſcopi Palatio dedit. Iurauerat autem tertio anno antè: ſe nunquam amplius coronam, niſi Mediolano ſubacto, capiti ſuo impoſiturum. Væ tunc illis, quibus malum per barbam ſuam rufam iuraſſet.

1. Hippocr. Aph. 6. Hippocrates, ante Chriſtum 430.

Mediolanenſis vrbis exciſio.

Sicut Iudic. 9. ab Abimelecho apud Sichimam factum. Abimel. ante Chriſtum 1270.

Mediolanenſes reliquos diſperſit per agros: eiſque Præfectos ex Germania ſex præfecit. οὐκ ἀρετᾷ κακὰ ἔργα (inquit Mæonides) felicia non ſunt, improba facta. Et Poëta quidam Latinus:

Ah miſer. Etſi quis primò periuria celat:
Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

Odyſſ. 8. Homerus ante Chriſtum 1000.
1. Tibul. 9. Tibullus ante Chriſtum 30.

Vide Herodot. lib. 6. Ἐρατοῖ. Herodotus, ante Chriſtum 440.

Ἄνδρες δ' ἔνορκοι, μετόπισθεν ἀμείνονες εἰσίν.
At fidos homines, poſthac meliora manebunt.

Comenſibus quoque Fridericus, Bergomatibus, Brixienſibus, Placentinis, Germanos Prætores præpoſuit (qui, poteſtates Imperatoris appellati ſunt) & reliqua Inſubriæ, vel Longobardiæ, loca placauit. Sic, hoc bellum quaſi confectum.

Duo Antipapæ, Alexander & Victor.

Triennio autem antè, Hadrianus Pontifex, muſca in fauces eius inuolante, ſuffocatus perierat: & per Cardinalium diſſenſionem (ſua, non quæ Dei eſſent, quærentium: vt Imperator inquit) duo inter ſe contrarij Papæ facti fuerant: Alexander III. & Victor IIII. Nomen huic Alexandro antea fuerat Rolandus: quem Cæſar Fridericus, ipſum & Collegam Bernhardum, ab Hadriano Papa LVII. anno ſuperbè miſſos, vt ſuprà diximus, iratus à ſe Romam repulerat. Horum duorum Antipaparum alter alterum inter ſe deuouerant diris: vterq; Auguſti fauorem & ſtudium exquiſiuerat. Auguſtus autem Victorem prætulerat: ſed Alexander Mediolanenſibus fauens, tum Auguſtum, tum Antipapam, è conſortio Eccleſiæ eiecerat. Talis tunc ſtatus, vel perturbatio potius, Eccleſiæ erat: quæ pro vno naturali veroque capite Chriſto, contra verbum Dei, monſtro & portento ſimilis, biceps ex homunculis perditis facta erat.

Paſchalis, Victoris ſucceſſor.

Victori deinde anno LXIIII. morte deuicto, Paſchalis III. à factione eius ſucceſſor datus eſt: Alexander Romam tenuit.

Cæſar autem Fridericus, cùm in Germaniam cum vxore redijſſet: HAGENOAM, quæ vicus hactenus fuerat, muro circumdari, & oppidum fieri, voluit.

Bellum inter Hugonem Tubing. Palatinum, & Guelphonem VII.

Eodem LXIIII. ſupra milleſimum centeſimum Chriſti anno, quia Palatinus Comes Tubingenſis Hugo, Brigantiæ & Rhætiæ Curienſis dominus, aliquot milites Guelphonis, qui ſextus numeratur, propter eorũ malefacta ſuſpendiſſet: nec expoſtulationi Guelphonis ſatisfaceret: Guelpho in Italiam iturus, filium inde reuocauit, Guelphonem nuncupatum ſeptimum. Qui, magno exercitu collecto, die ſexto Septemb.

Septemb. Tvbingam obſeſſum venit: & in Derendingenſi cliuo caſtra fecit.

Poſtero die, qui Dominicus erat, Principibus & nobilibus viris controuerſiam tranſigere conantibus: quidam Guelphoniani petulanter in pratum amnis Nicri excurrere: eisque ex caſtro Palatino (cuius loco hodierna Principum Vuirtembergicorum arx eſt) præſidiarij obuiàm decurrere, horâ diei circiter nona. Peruenit res ad manus & pugnam: ſuccurſuque partium vtrinque aucto, malum adauctum eſt. Erant cum Guelphone Epiſcopi tres: Auguſtanus, Spirenſis, & Vuormacienſis: Bertholdus Dux Zæringenſis, Bertholdus Marchio Vohenburgenſis, Hermannus Marchio Badenſis: Comites generoſi, & viri nobiles, multi: Pſullendorffenſis, Caluenſis, Bergenſis, & alii. A Palatino ſtabant, Fridericus Rotemburgo Tuberanus (de quo ſuprà dictum) cum mille & quingentis equitibus: Comites Zollerenſes, Vuirtembergenſes, & alij perquam multi: numero tamen hoſtibus multò inferiores.

Pugnatum eſt ad duas horas: ſuperatus Guelphonis exercitus: nec multi ex eo occiſi, ſed multi vulnerati: capti autem ferè nongenti viri: cæteri fugæ ſe mandarunt: Guelpho ipſe, duobus tribusúe comitatus, in arcem Achalmam, quæ ciuitati Reutlingenſi imminet, aufûgit. Pugna ante op. Tybingam.

Altero anno, Imp. Friderico agente, captiui dimiſsi ſunt: & pax facta eſt, quæ tamen ſtabilis non fuit. Guelpho namque ſequenti anno ditionem Palatini rurſus vaſtat: duo caſtra in ea deijcit: ſubditos LX. capit. Palatino Dux Rotemburgenſis Fridericus periclitanti ſubueniens, Bohemos euocat. Hi, quacunque tranſibant, tanquam tempeſtas quædam peruadens, proterebant omnia. Fugatus à Friderico tunc Guelpho in caſtrum ſuum Ravespvrgvm (ciuitas hodie Imperialis in Algæa eſt) fuit.

Conuentu autem Principum per Imperatorem Vlmæ facto: cauſa diſceptata & dijudicata eſt: Palatinus Guelphoni deditus: atq; in Rhætiæ Curienſis caſtrum Nuinburgum deportatus. Guelphone tamen, inſequenti anno peſtilentiâ

 in Ita-

in Italia extincto, liber ad ſua redijt. Tybingam poſtea tenuit poſteritas eius vſque ad M.CCC.XLII. annum Domini: quo eam cum territorio ab illuſtribus Palatinis Tubingenſibus, Gottefrido & Guilielmo fratribus, illuſtris comes Vuirtembergenſis Vlricus emit.

Ita nec Tybinga, obſcurum priſcis temporibus oppidum fuit: ſed clarum hoc modò expoſito bello: ac multò magis, dominatu antiquo inſignium Palatinorum & Comitum Tubingenſium: qui Herrenbergenſe quoque & Bœblingenſe oppida, aliaque multa loca, tenuêre. Verùm, vt omnia humana inſtabilia ſunt: etiam tempora mutantur, poſſeſſoresque locorum: vt in cœlo tantummodò ſtabilem perpetuamque ciuitatem quæramus.

Paul. Philip. 3.

Creſcebat interea temporis potentia Pont. Alexandri: ægrè ferebant Italicæ ciuitates, libertatis auidæ, Præfectos Imperatoris: adiuuabat illos, ſtudio Occidentis rurſus cum Oriente coniungendi, clàm Græcus Manuel pecunijs. Iccirco LXVI. anno Imp. Fridericus (præmiſsis magno cum exercitu Archimyſtis, Colonienſi Reinaldo, & Moguntino Chriſtiano) menſe Nouembri quartùm in Italiam, per Tridentinum ſaltum potenter ingreſſus eſt. Ibi tantò magis roborarunt ſe, qui contra ipſum conſpirauerant, Veronenſes, Vicentini, Patauini, Taruiſini: attractis etiam Cremenſibus, Cremonenſibus, Brixianis, Bergomatibus, Mantuanis, Ferrarienſibus, Bononienſibus, Regienſibus, Parmenſibus, Placentinis: atq; ipſis etiam Mediolanenſibus: qui vrbem ſuam inſtaurarunt, nouis mœnibus conditis: auro Imp. Manuelis ſuffulti. Fridericus verò vrbem Romam occupauit: ibique à Pont. Paſchale (quem, profugiente Alexandro, ſecum introduxerat) die S. Petri denuò coronam accepit, ipſe, & coniux Beatrix: receptusque eſt, tranſactione facta, Paſchalis à Romanis.

Archiepiſcopi, Reinaldus & Chriſtianus.

Quarta profectio Friderici in Italiam.

Vrbis Mediolani inſtauratio.

Iterata Friderici coronatio Romæ.

Fœda deinde lue menſe Auguſto exorta: maxima pars Imperatoriarum copiarum interijt: & vnà Colonienſis Antiſtes Reinaldus: Auguſtanus Epiſcopus Conradus, & alij Epiſcopi. Inclyti præterea Proceres: Regis Conradi F. Dux

Fri-

Fridericus, Dux Guelpho iunior (de quibus antea diximus) & Comites illuſtres, Sultzbachenſis Berengarius, Tubingenſis Henricus. Eorum oſſa omnium, carnibus excoctione deterſis, in patriam reportata ſunt, & ſepulcris condita. Heroës peſte ſublati.

Duce porrò Friderico ſine liberis defuncto: ditionis eius Franconicæ, hæres proximus extitit Imp. Fridericus: qui poſtea M. C. LXVIII. anno in Germaniam reuerſus, illam Herbipolenſi Epiſcopo Heroldo plenè tradidit. Ideo Epiſcopo gladius præfertur, vt iam etiam Duci Franconiæ. Ducatus Franconiæ.

Senior autem Guelpho, filio Guelphoni ſuperſtes: cùm nullum filium amplius haberet: Friderico Imp. ſuo è ſorore Iuditha nepoti, LXIX. Domini anno, aut non multò ſecus, Ducatum Spoletanum, Marchiam Tuſcanam, Principatum Sardinienſem, dedit: ditionem verò, quam in Bauaria & Sueuia habebat, Bauariæ Duci Henrico Leoni, nepoti ex fratre Henrico ſuperbo, tradidit: vtrinque ſumma quadam pecuniæ accepta. Plerunque enim Memmingæ viuens (quod oppidum, olim Grynefurtum dictum, ad ipſum pertinuiſſe opinor: ſicut & Raueſpurgum pertinuit) genio ibi magnis ſumtibus indulgens, quoſuis hoſpites ad ſe inuitabat: donec tandem M. C. XCI. anno diem ſuum obijt: & in Staingadino Auguſtanæ diœceſeos Monaſterio (vbi & filius) ſepultus eſt. Guelphonis ſenioris extremus vitæ actus. Memminga, ciuitas Imperialis.

Interim in Italia viribus violentiaque Papæ & coniuratorum inualeſcentibus: Archiepiſcopoque Chriſtiano (qui iamdudum eò remiſſus ab Imperatore fuerat) rem nauiter gerente: quintam Fridericus expeditionem Italicam LXXIIII. anno ſuſcepit: per Ciniſumq; montem in Italiam ingreſſus, multa egregiè fecit: multa dura paſſus eſt. Quinta Friderici profectio Italica.

Deſertus autem altero anno ab Henrico Leone: cùm multis difficultatib. laboraret: per Iouis montem tranſcendit, nec ſine metu, in Burgundiam, vxoris ſuæ patriam: ac deinde in Alemanniam redijt. Ibi Henricum nõ modò proditionis, verùm etiam læſæ maieſtatis, accuſauit: quòd ante Auguſti reditum, coniurationem etiam in Sueuia contra ipſum conflauiſſet. Damnatus eſt reus, atque proſcriptus, in Henrici Leonis defectio.

oppido Gamundia: atque Bauaricum eius Ducatum, Otho Palatinus Vuittelspachius, Saxonicum verò nobilis vir Bernhardus Anhaltinus, occuparunt. Henricus expulſus, ſe in vrbem Brunſuigam contulit, ibique firmiter manſit. Othonis autem filius, multis annis pòſt, pro maximis beneficijs, in patrem à Friderico Auguſto collatis, ingratus: optimũ eius filium, Cæſarem Philippum, nefariè interemit: quemadmodum in noſtra, de miſerabili Auguſta Irene, oratione demonſtrauimus.

Brunſuigam exterminatus.

Sextùm deinde aduerſus Italos copias Fridericus duxit (iamdudum à Pont. Alexandro ex Eccleſia eliminatus) cùm vxorem antea Comi reliquiſſet. Redintegrare enim bellum animus erat: inducijs, quæ ad tempus pactæ fuerant, exactis. Proh Deum immortalem, quot labores, quot pericula, quot ærumnæ, ſubeunda & ſuſtinenda ſunt ei: cui ſumma rerum commiſſa eſt? Qui inertiam & voluptates ſibi fugiendas ducit? Cui fideliter Imperij Rom. opes augere, dignitatem tueri, ideoque paſsim Imperij loca circumire, propoſitum eſt? Herculem quendam, laboribus & ærumnis inuictum: Atlantem quendam, ceu montem maximum & altiſsimum ſuſtinendo indefeſſum, eſſe neceſſe eſt. Quis igitur prudens, à tanta, tam multiplici, tam periculis & ærumnis plena, rerum negociorumque mole, non remis veliſque refugiat? Quis, niſi ambitione turgens, temeritate præceps, audacia & vanitate demens ac proiectus, vltrò ſe ad illã ingerat & intrudat? Τὸ λάθε βιώσας, domi obſcurum latêre, longũ valere ſollicitæ vitæ dicere, vt longè melius, præferat. At, ſi diuinitus ad tantũ pondus ſubeundum portandumq; voceris: Deo parendum, Reipub. ſtrenuè inſeruiendum, fuerit. Tunc ipſa conſcientiæ bonitas, & diuini imploratio auxilij, magno ſolatio adiumentoque erit.

Sexta profectio Friderici trans Alpeis.

Summæ rerum præeſſe, Herculeus labor.

Fridericus ita, vti dictum eſt, in Italiam reuerſus, prælium cum Mediolanenſibus & ſocijs, LXXVI. anno commiſit, ſed infeliciter. Equo enim, qui ſub eo fortiſsimè pugnante ſuffoſſus fuit, delapſus eſt: &, vt fama tam ficti praui que tenax, quàm nuntia veri eſt, pro mortuo ab vxore, quæ

Aeneid. 4.

Comi

Comi morabatur, deploratus eſt. Ad eam tamen quinto die pòſt, præter hominum ſpem incolumis redijt.

Hoc aduerſo caſu turbatus, pacem cum Papa Alexandro (Anagniæ tunc verſante: Antipapa Paſchale iam mortuo) perpetuam fecit: Longobardis inducias ſex annorum dedit: Guilielmo Siciliæ Regi pacem XV. annorum conceſſit: Græco denique Manueli pacem indulſit. Tranſactio Imp. Friderici cum Pont. Alexandro.

Altero anno, ab anathemate abſolutus eſt, ipſe, ſuíque omnes: atque Venetias profectus, à Duce Sebaſtiano Ziano, totaque ciuitate, magnis honoribus exceptus & habitus eſt. In hanc ſententiam, diſertiſsimus Italiæ Scriptor Sigonius, tempore noſtro. Lib. de Regno Italiæ. 14.

Ab alijs verò, iampridem literis proditum ſcimus: Fridericum, filio Othone pugna nauali per Venetum Ducem Zianum victo & capto, pacem illam feciſſe: calcante ipſum pedibus ſuis Pont. Alexandro: & dicente, SVPER ASPIDEM & baſiliſcum ambulabis. Cumque Imperator dixiſſet: NON TIBI, ſed PETRO: reſpondiſſe Papam, ET MIHI, & Petro. Ac tametſi Otho non putatur à Sigonio præfuiſſe claſsi, vtpote ætate puer: tamen in Palatio Veneto, inter alia de Friderico Epigrammata, etiam hoc legitur. "ATROX VTRINQVE prælium committitur. Demum Dux fortiſsimus, diuina ope, Venetáque virtute, nixus: Imperatoria claſſe diſiecta, OTHONEM cum triremibus LX. capit." Pſalm. 91.

Reuerſus eſt poſt hæc Fridericus in Sueuiam LXXIIX. anno: Archiepiſcopo Chriſtiano, pro ſe in rerum Italicarum adminiſtratione relicto. Quem Marchio Monferratenſis Conradus (à Manuele Græco, ſemper Friderici æmulo, pecunijs adiutus) prælio ſuperatum cepit: qui ibi aliquanto tempore pòſt mortuus eſt. Archiep. Chriſtiani obitus.

A Friderico celebrata ſunt LXXXI. anno Comitia Moguntiæ: ad quæ frequentiſsimi adfuerunt Principes Germaniæ. Venerunt etiam Legati ex vrbe Conſtantinopoli & Hieroſolymis. Actum eſt de pace Eccleſiæ, belloque in Saracenos mouendo. Tum, epulo Proceribus ſplendidiſsimo dato: Imperator filios ſuos, Henricum & Fridericum, gladijs Moguntiæ Comitia. Sicut noſtro ſeculo, in Comitijs τῶ παγγερμανῶν; de Religione Luth. & bello Turcico.

accinctos, equeſtri dignitate inſigniuit. Sequentibus diebus, Reginas eis deſponſauit: Henrico, Siculam Conſtantiam: Friderico verò, Vngaram.

Adelbergenſe Monaſterium. M. Scr.

Eodem anno fundatum eſt Madelbergenſe cœnobium (hodie Adelbergenſe nominatum) ſingulis milliaribus inter arcem Hohenſtauffam, & oppidum Schorndorffium, ſitum. Fundator fuit generoſus Baro Volcknandus Eberſpergenſis: gratioſus apud Cæſarem Fridericum (vt genere non alienus) ob pietatem & virtutes ſuas. Interfuit Fridericus conſecrationi ſummi ibi altaris: cum filijs, Rege Rom. Henrico, Friderico, & Philippo. Extant hæc in fano ibi picta: de Volcknando, in muro interiore: de Friderico, in Lacunari.

Monachis iam introductis: Auguſtus tres nobiles pueros (cùm Scholæ extra cœnobia illis temporibus non eſſent) in Madelbergenſe Monaſterium ad pædagogum ex illo cœtu doctum miſit, erudiendosque commendauit. Qui cùm fideliter officium faceret: adhibens etiam pro re nata ferulas: catuli iſti rem, ceu intolerandam, auerſati: Præceptorem quodam die, animi causâ ad ambulandum egreſſum, in ſolitario prato (Tobel--vviſen dicto) nacti ſolum, pugnis ceciderunt, humi ſtrauerunt, oculis priuauerunt, miſerè affectum reliquerunt, fugam ceperunt. Non manſit inultum, ſcelus: ſed ab Imperatore retracti ſunt: in cuſtodiam tetram coniecti: fame diuturna macerati: deprecatione tamen propinquorum tandem emiſsi: verùm procul ab aula relegati.

Ingrati diſcipuli. M. Scr.

Bebenhuſanum cœnobium. M. Scr.

Conditum eſt circa idem tempus Bebenhuſanum quoque Ciſtertienſis ordinis Monaſterium: à Rudolpho, Comite Palatino Tubingenſi (Hugonis illius, quem à Guelphone oppugnatum diximus, filio) Brigantiæ & Curienſis Rhætiæ domino: atque ab vxore eius Mechtilde, Eberſtainia Comite. Confirmatum eſt ab Imp. Friderico, filioque eius Rege Henrico. Dicitur tamen alicubi, iam ante Rudolphum fundamenta huius cœnobij iacta fuiſſe: à nobilibus videlicet, qui de Luſtnouia dicti fuêre: ſed à Rudolpho exornatum, reditibusque ditatum, eſſe.

Lybeca c.

Fridericus vrbem Lybecam (quæ hodie præcipua eſt inter Vandalicas

Vandalicas vrbes) cōſtituit anno LXXXII. dominam Hanſaticæ ſocietatis. Quam ipſe ſocietatem (pacis & mercaturæ causâ inſtitutam) multis ornatam priuilegijs, primus confirmauit. Vt enim belli, ita pacis etiā, artibus ac ſtudijs, magnus & inclytus erat hic Imperator.

Sequenti anno, inducijs Lombardicis ad finem currentibus: idem rogatu Regis Henrici, cum Mediolanenſibus, Lombardia, Marchia, & Romandiola, in gratiam ſinceram receptis, integram pacem firmauit. Quæ pax, quoniam in ciuitate Alemanniæ Conſtantia eſt facta, Conſtantienſis pax appellatur. De qua Baldus dicit: PIETAS (id eſt, miſericordia & clementia) decet Principem: per quam ſolam Dei ſeruatur imitatio. Quod cōſentit cum illo Ciceronis: Animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, &c. hæc qui faciat, non ego eum ſummis viris comparo, ſed ſimillimum Deo iudico.

Pax Conſtantienſis.

Pro M. Marcel. Cicero, ante Chriſtum 40.

Comitia deinde LXXXIIII. anno ſunt à Friderico Moguntiæ acta: in quibus ipſe filium ſuum, qui Rex erat declaratus, militem auratum torque donauit. Incidit autem, Auguſto in templo ſedente, Moguntinoq; Præſule dextrum eius latus tegente, contentio de ſeſsione ad ſiniſtrum latus. Contendebat de ea obtinenda Fuldenſis Abbas Conradus: ſibi id honoris ex vetere conſuetudine deberi. Sed grauiter ei contradicebatur à Colonienſi Electore Philippo. Tum fanum fuiſſet cæde & ſanguine factum profanum: niſi precibus Imperator ſe interpoſuiſſet: Abbatem citra præiudicium iuris ſui, in præſenti cedere hortans. Exclamat hoc loco Crantzius in SVPERBIAM: quæ in cœlis nata, cum auctore ſuo ad cruciatus inferorum perpetuos ſit demergenda.

Sancta Præſulum rixa.

Sax. lib. 6. cap. 46. obijt is 1517.

Septimam idem annus, & vltimam, Friderici Italicam profectionem habuit. Conuenerunt ipſe, & Pont. Lucius 3. (Alexander enim iam huic ſeculo valedixerat) Veronæ, vltimo die Iulij. Tractatum inter alia, de bello in Saracenos ſuſcipiendo: propterea quòd Saladinus Hieroſolymam, vt iure hæreditario ab Abrahami Sara ad ſe pertinentem, eriperet Chriſtianis vellet. Tunc Henrico Regi coronam ferream

Septima & vltima Friderici tranſcenſio Alpium.

Lucius Papa.

 Archiepi-

Archiepiſcopus Lambertus impoſuit Mediolani. Altero anno iura populorum Italiæ Fridericus recognouit: & omnia, quoad potuit, ordinauit.

Obitus Auguſtæ Beatricis.

Obijt hoc tempore coniux ipſius, Domina Beatrix: & Spiræ humata eſt.

Sequenti LXXXVI. anno, Imperator filiam Sophiam Marchioni Monferratenſi Guilielmo collocauit: Italiam Regi Henrico (qui cum Conſtantia, Siciliæ Regis Rogerij filia, nuptias Mediolani celebrauerat) regendam commiſit: ipſe in Germaniam ſeſe retulit.

M. Scr.

Altero anno filius eius Fridericus, Dux Sueuiæ, priuilegium Cal. Iun. Indict. V. Tubingæ ſcripſit: quo Bebenhuſanis cænobitis dedit poteſtatem liberè vtendi nemore, cui SCHAINBVCH nomen eſſet: & cuiuis hominū, aliquid huic Monaſterio conferendi copiam fecit.

Hieroſolymæ amiſſio.

Eodem anno Hieroſolymam Saladinus (vt & alias multas terræ ſanctæ ciuitates) in poteſtatem ſuam armis redegit: anno ſcil. LXXXIIX. pòſt, quàm à Bilioneo erat capta. Ideo

Gregorius Papa.

mox Gregorius VIII. qui tunc Pontificatum gerebat, literis omnes Principes & populos Chriſtiani nominis, ad recuperationem S. ſepulcri excitauit. Morientibus enim in ea expeditione, cunctorum peccatorum remiſsionem, & vitam æternam, pollicebatur: bona crucem aſſumentium, in protectionem S.R. Eccleſiæ recipiebat: cunctos à precioſo veſtitu, à canibus, ab accipitribus, dehortabatur: ad humilitatem pœnitentiamque adhortabatur. Simili feruore Cle-

Clemens Papa.

mens III. (eius properè mortui ſucceſſor) anno LXXXIIX. extimulabat ad crucigeram militiam. Crucis namq; ſignum, ſacri milites in humeris habebant.

Imperator igitur Fridericus (vt pius erat, pro religione illorum temporum) filio Friderico, Marchione Hermanno Badenſi, alijs multis illuſtribus viris, maximoque exercitu, ſtipatus (pace antè per Imperiū, Nurinbergæ firmata: quam vrbem vocat in literis caſtrum ſuum) anno M.C.LXXXIX.

Friderici orientalis expeditio.

per Vngariam in Thraciam deſcendit. Nec ſatis amicum initiò habuit Imp. Græcum ISAACIVM Angelum, Irenæ noſtræ

ſtræ patrem. Perſuaſerat enim huic falſus quidam Monachus: Germanos non Hieroſolymæ recuperandæ, ſed Imperij Græcorum eripiendi, cauſâ adeſſe. Magnum malum, improba ſuſpicio: magnum malum, inde naſcens calumnia: magnum malum, ignorantia, calumniæ receptatrix. Hinc ergo natus eſt inter vtramque gentem conflictus. Pace tamen per interceſsionem prudentiorum compoſita: munera inuicem Imperatores miſerunt. Tunc Fridericus cum copijs, anno ſequenti, tempore Paſchatis, iuxta oppidum Calliupolin traiecit in Aſiam.

Magnas ille res ibi geſsit. Nam apud Philomelium filios Iconienſis Sultani, apud Iconium Turcas, cecîdit. Armeniam Victoriæ. ingreſſus, Melitenam cepit: ducenta Saracenorum millia, ciuitati opitulatum profecta, profligauit. In Comagenam per Taurum montem profectus, Saladini filium Saphadinum fudit fugauitque. Meditabatur iam fugam in Aegyptum Saladinus. Ideo terram Syriæ, ne hoſtibus longè progrediendi facultas eſſet, igne vaſtabat. Vrbes ſuas, Berytum, Sidonem, Laodiceam, & alias, mœnibus nudari iuſſerat.

Ecce autem, dum omnia noſtris ſpei ſunt pleniſsima: repentinus accidit caſus, qui vertit omnia. Vt, quod de perfectiſsimo athletarum habitu corporis ab Hippocrate dicitur: τὰς ἐπ' ἄκρον εὐεξίας, εἶναι σφαλερὰς: tales habitus, cum 1. Aphor. 3. periculo coniunctos eſſe: idem hoc quoque loco, de excitatiſsima Friderici fortuna dici poſſe videatur. In flumine namque Serra, vel Selephio (olim Cydno) hoſtem ille dum fugientem inſequitur cupidius: equus eius offendit: ipſe in altas aquas, armis & ætate grauis, decidit. Extractus quidem Interitus Friderici. inde eſt: ſed exuperare caſum non valuit. Ieſu igitur Chriſto animam ſuam commendans, beatum vitæ exitum adeptus eſt. Ad hunc modum de morte eius reperitur. Communior tamen opinio eſt: eum, dum poſt magnos in æſtu labores, in fluuio rapidiſsimo refrigerare ſe voluerit, ſummerſum eſſe. Factum hoc eſt XI. die Iunij (die S. Barnabæ) anno redempti Mundi milleſimo, centeſimo, nonageſimo: cùm iam propè ſeptuagenarius eſſet Fridericus.

Eurip. Medeæ extremo.

Πολλὰ δ' ἀέλπτως κραίνει θεὸς: multa inſperata facit Deus. Mors, omni homini certa: hora mortis, incerta. Etiam genus mortis, incertum. Etiam locus mortis, locus ſepulturæ, incerta. Militia eſt vita hominis in terra.

Iob 7. & 14. vixit ante Chriſtum 1740.

Homo natus de muliere,
Breuiq́; viuens tempore,
Repletur multis miſeriјs.

Natus fortaſſe Vuaiblingæ, Imp. Fridericus. Quis tunc toties in Italiam tranſgreſſurum Alpeis putaſſet? Quis bis in Aſiam traiectur ũ putaſſet? Semel enim, ſub patruo R. Conrado: iterum autem, per ſe. Quis demum moriturum ſeptuageſimo ferè ætatis anno putaſſet? Quis 11. menſis Iunij? Quis in flumine Ciliciæ Cydno? Quis tam procul patriâ ſepultum iri? Delatum enim eſt corpus in vrbem Phœniciæ Tyrum (Turſoch dictam) & à pio filio Friderico honorificè ibi terræ mandatum.

Mors Friderici filij.

Succeſsit exercitui pro patre chariſsimo Imperator idem Fridericus. Qui rebus aliquot fortiter & feliciter geſtis, ipſe quoque vitam amiſit: peſtilente contagione multis cum alijs ſublatus.

Concluſio primæ in hac oratione partis.

Hic fuit ortus, hic vitæ curſus, hic obitus, excellentiſsimi ex Stauffenſi domo Auguſti Rom. Friderici Barbaroſſæ: prolixius ſanè, quàm initio cogitaueram, admiratione viri à me expoſitus. At & hæc copioſius, & alia multò plura (velut χύμα quoddam, vndarum paſsim effuſionem) in Annalibus noſtris Sueuicis perſecuti ſumus.

Perſona Friderici.

Addam προσωπογραφίαν, deſcriptionem eiuſdem Friderici, ex Vrſpergenſi Abbate. Eum hic armis ſtrenuum fuiſſe ait, animo acrem, bellis exercitatum: ſtatura mediocri: longiore tamen, quàm breuiore: corpore robuſto, pectore lato: facie ſatis eleganti, barbâ & capillo rufo: affabilem manſuetis, ſuperbis aduerſarium. Ingenio denique ſubtili: & memoriâ tanta, vt, quorumcunque hominum faciem ſemel nouiſſet: eos poſt longa etiam interualla temporum agnoſceret, nominatimque ſalutaret. Sicut ſcilicet Cyro, Perſarum Regi, omnium ſuorum militum nomina erant nota. In cœnobio

8. Val. Max. 7. Cyrus, ante Chriſtum 530. Val. Max. anno Chriſti 20.

nobio ſanè Lorchenſi, picta conſpicitur imago totius corporis Friderici: cum facie & barba, qualis erat ante aliquot annos reuerendi Abbatis Bebenhuſani, Eberhardi Bidembachij, S. Theol. Doctoris, &c. quem Deus nobis amplius quàm diutiſsimè conſeruet: doctrina, prudentia, humanitate, ſenectute, venerandum patrem.

Fridericum Imp. etiam Græcus illius temporis Choniata ſplendidè celebrans: inter alia, ἀνὴρ ἐγένετο, inquit, διὰ μνήμης ἄγεσθαι ἀγαθῆς καὶ ζηλωτικῆς ἄξιος: ὅτι τῷ τοῦ χριστοῦ πόθῳ πυρούμενος, τὸν οἴκοι ὄλβον παρωσάμενος, εἵλετο συγκακουχεῖσθαι τοῖς κατὰ παλαιστίνην χριστιανοῖς. Vir honeſtâ fuit, & perpetua memoria dignus: quòd deſiderio Chriſti flagrans, felicitate domeſtica poſthabita, ærumnas cum Palæſtinæ Chriſtianis tolerare maluit. Friderici eulogium, Chon. lib. 2. de Iſaac. Angelo.

Abſolui hactenus, quæ de hoc tanto, tam excellenti, Imperatore præcipua dicere volui.

Venio nunc, magnifica, illuſtris, & eminentiſsima concio, ad ſecundam partem orationis meæ: quæ propiorem cum ſtudijs noſtris coniunctionem habet: & ipſa quoque copioſius explicanda eſt. Ideo à præcedente parte ſeparandam, & huc traijciendam, iudicaui. 2. PRIVILEGIA, ſtudioſis à Friderico data.

Hic enim generis antiquitate, ſolertiâ mentis, animi magnitudine, tolerantiâ laborum, ſtudio Imperij augendi, belli paciſque artibus, excellentiſsimus Sueuus: qui nullum diem (Radeuico teſte) tranſire otioſum ſinebat: quo non aliquid Reipub. vtile gereret: hic tantus Heros, inter armorum etiam crepitus, tympanorum & tubarum ſonitus, extra patriam in Italia, non in vrbe aliqua, ſed ſub diuo, ſtudioſæ tamen iuuentutis, id eſt, rei ſcholaſticæ, rationem ſollicitè habuit. Nam cùm quinquageſimo octauo poſt vndecimum à Chriſto nato ſeculum anno, tempore ſecundæ ſuæ in Italiam profectionis, Roncalijs conuentum ageret (Germaniæ & Italiæ Principibus, Cardinalibus & Epiſcopis, frequentem) multaq; Reipub. maximè vtilia (clariſsimis etiam ex Bononienſi Schola Antecesſoribus adhibitis) ſtatueret: clementiſsimam quoque de Scholaſticis adoleſcentibus & 2. Radeuic. 1. & inde.

iuuenibus conſtitutionem (cuius ſuprà dudum meminimus) edidit: quam hîc ad verbum ſubijciam: vt appareat, ex quanto Imperatore, quantam accipiant dignitatem Scholæ, cœtusque ſcholaſtici.

Conſtitutio Friderici de Scholaribus.

» Habita ſuper hoc, inquit, diligenti Epiſcoporum, Abbatum, Ducum, omnium Iudicum, & aliorum Prócerum ſacri noſtri Palatij, examinatione: OMNIBVS, qui causâ ſtudiorum peregrinantur, Scholaribus: & maximè diuinarum atque ſacrarum legum Profeſſoribus, hoc noſtræ pietatis beneficium indulgemus: vt ad ea loca, in quibus literarum exercentur ſtudia, tam ipſi, quàm eorum nuntij, veniant, & habitent in eis ſecurè. DIGNVM namq; exiſtimamus: vt, cùm bona facientes, noſtram laudẽ & protectionem omnes mereantur: eos, QVORVM SCIENTIA MVNDVS ILLVMINATVR: & ad obediendum Deo, & nobis eius Miniſtris, vita ſubiectorum informatur: quadam ſpeciali dilectione ab omni iniuria defendamus. QVIS ENIM EORVM NON MISEREATVR: qui amore ſcientiæ facti exules, de diuitib. pauperes, ſemetipſos exinaniunt: vitam ſuam multis periculis exponunt: & à viliſsimis ſæpe hominibus (quod grauiter ferendum eſt) corporales iniurias ſine cauſa perferunt?

» Hac igitur generali, & in æternum valitura lege, decernimus: vt nullus de cætero, tam audax inueniatur: qui aliquam Scholaribus iniuriam inferre præſumat: nec ob alterius eiuſdem prouinciæ delictum, ſiue debitum (quod aliquando ex peruerſa conſuetudine factum audiuimus) aliquod damnum eis inferat. Sciturìs huius conſtitutionis temeratoribus: & etiam ipſis locorum Rectoribus, qui hoc vindicare neglexerint: reſtitutionem rerum ablatarum ab omnibus exigendam in quadruplum: notaque infamiæ eis ipſo iure irroganda, dignitate ſua ſe carituros in perpetuum. Veruntamen ſi litem eis quiſpiam ſuper aliquo negotio mouere voluerit: huius rei optione data Scholaribus: eos coram Domino, aut Magiſtro ſuo, vel ipſius ciuitatis Epiſcopo, quibus hanc Iuriſdictionem dedimus, conueniat. Qui verò ad alium Iudicem eos trahere tentauerit; causâ, etiamſi iu-

ſtiſsima

ſtiſsima fuerit, pro tali conamine cadat. Hanc autem legem, «
inter Imperiales conſtitutiones ſub titulo, NE FILIVS pro «
patre, &c. inſeri iuſsimus. «

Datum apud Roncalias, anno Domini M. C. LVIII. «
menſe Nouembri. «

Hæc nobilis conſtitutio Scholaſtica, vel Authentica, Friderici eſt: quam etſi Iureconſultus quiſpiam perfectius explicaret: tamen ego quoque de ipſa aliquid, ferè ſcholaſtico modo conabor dicere. Cùm enim in proxima Philoſophicorum Magiſtrorum ſolennitate, de Schola hac noſtra, cuius conditor illuſtriſsimus Princeps Eberhardus Barbatus fuit, dixerim: & ipſa etiam ſuis priuilegijs, ſtatutis, ordinationibus (quibus haud parum gaudemus) benè munita & ornata ſit: iure optimo de Imp. quoque Friderici conſtitutione ac priuilegijs (pro eo, atque ego pro tenui iudicio meo intelligo) dixero: vt inde perſpicuum fiat: huius Auguſti ſenſum, & noſtri Barbati, eundem fuiſſe. Hoc proinde loco, de Studioſis & ſtudijs eſt âgendum: ſicut in ſuperiore Oratione, de ipſorum ſede domicilioque egimus Schola.

Sic ſanè Baldus, & Rebuffus, & Iulius Pacius, Iuriſc. clariſsimi.

De hac conſtitutione, cur verba facienda.

Quid igitur hîc primùm eſt, quod cogitemus? Quod memori mente teneamus? Hoc, quis ſit huius conſtitutionis auctor. Quis hic eſt? Fridericus, primus huius nominis Imperator Romanus. Quis? Fridericus, Sueuus illuſtriſsimus, militari & pacifica gloria clariſsimus. Quis? Fridericus, Princeps ſapientiſsimus, iuſtiſsimus, fortiſsimus, commodorum & gloriæ Imperij ſemper augendorũ ſtudioſiſsimus: & iccirco laboribus belli domique, perpetuò occupatiſsimus. Hic tamen inter tot, & tanta, & tam ardua negotia periculaque, quæ ſuprà in expoſitione vitæ ipſius cognouimus, rationem cùm iuris, & ſalutarium ad communem felicitatem legum, tum ſcholaſticæ quoque eruditionis, perdiligentem habuit. Proh Deus. Plurimis Imperatoribus & Principibus, ne in ſomnis quidem in mentem vênit, quicquam de bonis literis, de liberalibus ſalutaribusque ſtudijs, cogitare. Voluptates potius illi quaſuis perſecuti ſunt, & minimè laudabilia ſtudia. Tantum abeſt, vt de ſtudioſa gente cogitationem

α'. Auctor huius conſtitutionis.

Comparatio aliorum Principũ cum Imp. Friderico.

nem vllam ſuſceperint. At non ſic Fridericus noſter: ſed ſpecialem quandam ſe dilectionem, hoc eſt, præcipuum quendam amorem, erga Scholares gerere: ipſosque, bona facientes, Imperatoriam laudem & protectionem mereri omnes, in hac conſtitutione apertè profitetur. Cauſas eius rei videbimus poſterius. Manifeſta hinc eſt ipſius illa ſpecialis dilectio: quòd non pro ſe ſolo de Studioſorum prouiſione cogitandum duxit: ſed Epiſcopos etiam, Abbates, Duces, Iudices, & alios Proceres ſacri Palatij, adhibuit: horum iudicia (vt hominum eius temporis, eruditione & prudentia cæteris mortalibus anteſtantium) exquiſiuit: atque hoc modo rem accuratâ quaſi trutina examinauit. Non ergo ſomnolentus Princeps, non contemptor Scholarum & doctrinarum, multò minus voluptarius & imbellis Sardanapalus, fuit. Quid ergo? Non ſolùm ille armis, & bellicis laudibus, decoratam (ſicut Imp. Iuſtinianus requirit) ſed etiam legibus, & honeſtis vtilibusque diſciplinis, armatam, maieſtatem ſuam eſſe voluit: idque inter ardua & ponderoſa (vt antea dictum eſt) Imperij negotia. Quapropter, cùm ad conſilium publicum, & maximæ auctoritatis viros, de re ſcholaſtica retulerit: inde patet, eum valde ſeriò negotium egiſſe. Voluit ita videlicet, dum ſuæ pietatis (id eſt, clementiæ & benignitatis) beneficium, diſcentibus & docentibus indulgeret: ſine dubio erga Deum in primis, cuius inexhauſtâ miſericordia in celſiſsimo dignitatis gradu collocatus, Imperioq; maximo præpoſitus, fuiſſet: tum alijs benefactis, tum Scholarum curatione, gratam animi pietatem declarare. Sic no-

Comparatio cum eo Principis Eberhardi Barbati.

biliſsimus etiam Vuirtembergiæ Dominus, Comes Eberhardus Barbatus, in proœmio Priuilegiorum, quæ Tybingenſi à ſe fundatæ Academiæ, anno M. CCCC. LXXVII. clementer dedit: huius fundandæ cauſam, ſuam pro Dei beneficijs in ſe ponit gratitudinem, his popularis linguæ verbis:

» Dieweil er von ſundern Gnaden des ewigen Allmächtigen Gottes/
» vnſers Schöpffers/ von geburt/ vnnd ſonſt zeitlicher Mächtigkeit/
» Lands vñ Leut/ die zu regieren vnd zuuerſehen/ hochgeborn begabt ſeie.

Sic prudenter & rectè, ante ipſum etiam Imp. Fridericus.

Iam

Iam autem ſecundo loco, cuinam generi hominum prouidere volens, concepit & edidit hic Cæſar conſtitutionem « hanc? Omnibus, ſtudiorum cauſâ peregrinantibus, Scholaribus: & maximè diuinarum atque ſacrarum legum profeſſoribus. Diſcentibus ergo, & docentibus, conſuluit: quoniam Profeſſores quoque, Scholarium appellatione continentur: hoc eſt, ſcholaſticorum hominum, vel in Schola verſantium: ſiue iam vniuerſalis, ſiue particularis, ſit Schola: cùm Imperator loquatur de omnibus generatim Scholaribus. Sed & Profeſſores, eſt, quando peregrinantur, aut locum mutant. Itaque Scholaſticæ vitæ homines, hæc attingit conſtitutio. Vt enim militibus ſagatis ſua ſunt priuilegia, benè in longinquis expeditionibus ſeſe gerentibus: ita his quoque togatis militibus, qui Scholas ſæpe longius diſsitas adeunt, de priuilegijs quibuſdam prouidendum eſſe, beneuolus Auguſtus exiſtimauit. Tunc autem Scholæ, quæ adibantur, erant præcipuè hæ: Bononienſis, Lutetiana, Cantabrigiana, Padebornenſis, Colonienſis, Moguntina, Herbipolenſis. Non tam multæ Scholæ illis temporibus erant, nec tàm propinquæ, quàm hodie ſunt. Idcirco ſæpe longinquiore peregrinatione, vt bonam Scholam inuenires, opus erat. Idcirco etiam pauci inueniebantur, Scholaſticis gradibus ornati. Talibus, qui ſtudiorum cauſâ (non opum, aut vagationis inertis) longinqua etiam itinera ſuſcipiebant, fauet hæc Imperatoris conſtitutio. Qua non fuiſſet opus apud vetuſtiſsimos Teutones & Sueuos, tunc à Chriſti notitia remotos. Nullæ enim apud eos erant literarum Scholæ (Corn. Tacito teſte: quem ſuprà etiam hac de re allegauimus) ſed literarum ſecreta, viri pariter ac fœminæ ignorabant: puerorumque educatio erat, ab ineunte ætate ſtatim præludia rei militaris tractare. Et nobilium adoleſcentum plerique, cùm domi pax eſſet, petebant eas nationes, quæ tum bellum aliquod gerebant: quòd ingrata Maioribus noſtris quies eſſet: & facilius inter ancipitia clareſcerent. Poſtquam verò Chriſtus innoteſcere Germanis cœpit: aliqua etiã literarũ notitia innotuit: ac Scholæ progreſſu tẽporis aliquæ, inſtitutæ ſunt.

β'. Quibus ea inſeruiat.

Scholaribus.

Legatur Henrici Boceri Salcat. D. Tractatus de Iure pugnę exquiſitus. Nobiſcum humaniſsimè viuit.

Illyr. 12. Cent. 7. Vixit noſtro tempore.

Antiquorum Teutonum ruditas & barbaries.

Ad Scholas proficiſcendum.

Ad Scholas autem & ſtudia proficiſcendi labor, quamuis interdum longior & difficilior, detrectandus non eſt: quia, quanta ex eis vtilitas emergat, poſtea dicetur. Congruit hoc cum præcepto Iſocratis: Μὴ κατόκνει μακρὰν ὁδὸν πορεύεσθαι, πρὸς τοὺς διδάσκειν τι χρήσιμον ἐπαγγελλομένους. Ne pigreris longum iter proficiſci ad illos: qui aliquid vtile ſe docere profitentur. Et rationem addit: quòd turpe ſit, Mercatores quidem, ob augendas fluxas opes longiſsima emetiri maria: adoleſcentes verò ne terreſtres quidem profectiones, ob animum ſcientia rerum bonarum ſtabili excolendum ſuſtinere. Quantò turpius eſt: ſi iam ipſo in loco aliqui artium, doctrinarum, & ſapientiæ, ſint; nec tamen ad eas (maximè honeſtas, vtiles, & neceſſarias, res) animos adiungant: ſed inane otium, damnoſas voluptates, flagitioſa ſtudia, conſectentur? Non ad tales fucos, ventres pigros, pernoctes coruos, perdios Endymiones, parentum exuctores, patrimonij famæque profligatores, ad poſtremum lixas & calones: non ad tales, inquam, beneficus Auguſtus pietatis ſuæ beneficium vult pertinere: ſed ad bonos adoleſcentes, ſtudiorum causâ peregrinantes: & tempus ſumptusque benè atq; vtiliter collocantes.

Πρὸς Δημ. Iſocrates, ante Chriſtum 330.

Excluduntur ab hac Anthentica ignaui & profuſi fuci.

Fruuntur eâdem conſtitutione præceptores quoque.

Quod idem beneficium, ille ad Scholarum etiam Profeſſores, Doctores & Magiſtros, extendit: & quidem ad omnes. Ergo etiam ad artium, linguarum, & Philoſophiæ: ergo etiam ad ſaluberrimæ facultatis Medicæ. Sed quoniam S. Theologia reuereri, & rectè colere Deum, Iuriſprudentia iuſtitiam & charitatem exercere erga homines, docet (quæ duo, S. Scripturæ ſumma capita ſunt) ipſe propter excellentiam, maximè diuinarum atque ſacrarum legum Profeſſoribus, hoc ſuæ pietatis beneficium indulget. Theologi, ſacerdotes eſſe debent pietatis erga Deum: Iureconſulti, ſacerdotes iuſtitiæ erga homines. His non minus, quàm diſcendi cupidæ iuuentuti, præſertim diuinarum humanarumque legum cupidæ, conſultum eſſe vult.

Ita vtrorumque curam gerit, præceptorum & diſcipulorum.

Ac præ-

Ac præceptoribus, ſeu Profeſſoribus, alij etiam clari Imperatores, & Principes viri ac fœminæ, quondam liberaliter proſpexerunt. Non repetam, quæ in Eberhardi Barbati Oratione, de Regina clariſsima Himelſuitha dixi: ſed tantummodò Valentinianvm Imp. (qui anno Chriſti CCCC. XXX. & longius pòſt, vixit) memorabo. Profeſſores hîc, Conſtantinopoli docentes, non ieiunè & ſeruiliter tractauit: ſed honore comitiuæ affecit. Grammaticos, inquit, tam Græcos & Latinos: Sophiſtas (ſic vocat dicendi Magiſtros) & Iuriſperitos, in hac Regia vrbe profeſsionem ſuam exercentes, & inter ſtatutos (ordinarios) connumeratos: ſi laudabilem in ſe probis moribus vitam eſſe monſtrauerint: ſi docendi peritiam, facundiamque dicendi, interpretandique ſubtilitatem, ſi copiam diſſerendi, ſe habere patefecerint: &, cœtu ampliſsimo iudicante, digni fuerint æſtimati: cùm ad viginti annos, obſeruatione iugi, ac ſedulo docendi labore, peruenerint: placuit honorari: & his, qui ſunt ex vicaria dignitate, connumerari.

Et aliorum etiam Principum fauore.

12. Codic. 15.

Alij interdum, doctos & benè meritos de Eccleſia & Scholis viros, pro aſinis habent: muliones & equiſones maioris æſtimant: ſenes ſexagenarios de ponte deijciunt: id eſt, munere ſuo, velut iam inutiles, priuant: quamuis ſæpe ipſi quoque ab eis benè inſtituti. Non ita ingratus eſt Imp. Valentinianus in Profeſſores, ne Grammaticos quidem, vtriuſque linguæ Doctores, & Rhetoricæ Magiſtros: ſed eos, vbi viginti tantùm annos diligenter & fideliter docuerint, honorat. Quid feciſſet de triginta, aut quadraginta, annis? Ad comitum dignitatem eos euehit. Comites autem non vnius erant generis, ſed diuerſorum generum: vt, Comites ſacrarum largitionum: qui nomine Principis, hoc eſt, Imperatoris, conferebant dona. Comites priuatarum: qui Principum priuata bona adminiſtrabant. Comites patrimonij: qui ſubleuabant priuatorum fortunas ex patrimonio Principis. Comites ſacri ſtabuli: quos conneſtablios, vel equorum præfectos, nominant. Si tali dignitate ornabantur: dubium non eſt, ad victum etiam & cultum honeſtum eis nihil defuiſſe.

Gratitudo erga bene meritos, & emeritos, Profeſſores.

6. Caſsiod. Variarum 7. tempore Reginæ Amalaſunthæ.

E 2 Apud

Apud nos verò nemo comitiuam, id eſt, dignitatem, petit: gratias Deo agit, ſi qua prouiſione reliquum vitæ ſine indigentia tranſigere poſsit. Hæc, Valentiniani eſt gratitudo erga præceptores. In Baſilicis autem, de Philoſophis contraria eſt conſtitutio: his, quia Philoſophia ſit ἱερὸν πρᾶγμα, ſacra res: eos τοῖς παιδευταῖς, Profeſſoribus, non annumerari: quia χρημάτων καταφρονεῖν, contemnere pecuniam, debeant. Sanè, ô ſatura conſtitutio, ſi ipſi proprijs ſe opibus tueri poſsint. At, ſi tenuis fortunæ ſint (ſicut plerunque ſunt) dignus profectò eſt operarius mercede ſua: vt vitam ſuam & ſuorum tolerare poſsit.

54. βασιλ. Tit. 14. cap. 1.

1. Cor. 9.

Satis iam eſt dictum, quibus hominibus hæc Friderici Authentica ſcripta ſit: fidelibus ſcilicet diſcipulis atque præceptoribus.

γ'. Huius conſtitutionis priuilegia.

Videamus tertiò nunc, quid in ea contineatur. Quid? Aliquot perbona priuilegia.

Primum.

» Quorum PRIMVM eſt hoc: vt ad ea loca, in quibus literarum exercentur ſtudia, tam ipſi, quàm eorum nuntij, veniant, & habitent in eis, ſecurè.

Defendit primo hoc, & generali ad ſequentia, priuilegio, ſiue lege, Studioſos Imperator ab omni iniuria (tam extraiudiciali, quàm iudiciali: inquit Baldus) & clariora poſtea verba addit: ſe decernere, vt nullus de cætero (id eſt, poſthac: ſicut antehac à vilisſimis ſæpe hominibus, corporales iniurias ſine cauſa pertulerint: id quod grauiter ferendum ſit) vt nullus, inquam, de cætero tam audax inueniatur: qui aliquam Scholaribus iniuriam inferre præſumat: & hanc legem non temporariam eſſe, ſed in æternum valere, vult. Securitatem præſtat Studioſis, tum quando proficiſcuntur ad loca: in quibus literarum exercentur ſtudia (in Vniuerſitates ſcilicet, & in Scholas inferiores, exercitijs tamen literarum commendatas) tum quando ibi habitant. Nec ipſis Scholaribus modò hac ſecuritate conſulit: ſed ipſorum etiam nuntijs. Ergo & famulis, & propinquis ipſos inuiſentibus. Quam ſecuritatem etſi ius commune etiam omnibus mortalibus dat: vt ita generalitate ſua non videatur eſſe priuilegium: tamen κατ'

Securitas Studioſorum.

ἐξο-

ἐξοχὴν, præcipuè, datur Studioſis, vt priuilegium: quia propter magnam cauſam, de qua in ſequentibus audiemus, ſpeciali quadam & eximia dilectione erga Scholares ſe impelli ſignificat Imperator: vt eos ab omni iniuria defenſos velit: ideoque grauius etiam violatores punit: vt in ſequenti priuilegio cognoſcetur. Et hoc neceſſe eſt: quia cùm vulgaribus, aut peruerſis hominibus, videatur Studioſorum vita, eſſe voluptaria quædam & iners vita: inutilis, aut etiam damnoſa vita: omnino denique diuerſa, & abhorrens ab ipſorum inſtituto ac moribus, vita: eos non diligunt, niſi lucrum ex eis capiant: ſed potius oderunt: & ſæpe facili anſa arrepta, corpora resúe ipſorum lædunt, præ alijs hominibus. Ideo hac proſpectione mitiſsimi & beneuolentiſsimi Auguſti, omnino eis opus eſt: idque, ſiue veniant, & ad tempus maneant, ſiue rurſus diſcedant. Nam & in adueniendo, & in abeundo, peregrinationis verbum habet locum. Itaque Scholaribus, qui ſtudiorum causâ peregrinantur, hoc priuilegio prouiſum eſſe, Imperator vult: dilectione ſingulari præbens ipſis defenſionem: & proinde ad Imperatoriam maieſtatem etiam concedens refugium appellationemque.

Etiam Principis Eberhardi munere.

Hinc noſter quoque fundator, diuus Eberhardus, vitæ, famæ, rebus, ſtudioſorum adoleſcentum, tum venientium, tum diſcedentium, ſimili dilectione diligentiaq; cauet, dum inquit: Wir wöllen alle Maiſter (ſub quo vocabulo etiam Doctores comprehenduntur) vnd Studenten (was ſtats / oder weſens / die ſeien: ſie kommen / oder ziehen hinweg) in allen vnſern Landen vnd Stätten / Dörffern vnd Gebieten / ſchirmen vnd handhaben: in allen den Gnaden vnd Freiheitten: wie die in gemein / oder in ſonderheit / von den Geiſtlichen oder Keiſerlichen Rechten / den Maiſtern vnnd Studenten gnädiglich geben ſeien / ꝛc. Derhalben gebieten wir ernſtlicheſt / ſo Wir mögen / allen vnſern Vnderthonen: edlen vnnd vnedlen / Vögten / Schultheiſſen / Burgermeiſtern / Burgern / gebüren / ꝛc. daß jhr keiner / jhnen kein vnbillichen Gewalt / Schand / Landlezung / oder vbels / thue: durch ſich ſelbſt / oder andere / ꝛc. an Leib / an Gut / an Glimpff oder Ehren / ꝛc. Sonſt ſoll er zu ſtund Vnſer Huld verlohren haben: vnnd darzu hundert guldin / die Vns zu

» peen verfallen ſollen: zu der peen / die er auch ſonſt nach der Statt
» Recht zu Tüwingen verlohren hette / ꝛc.

Secundum priuilegium.

» SECVNDVM priuilegium, quod à Friderico datur Scho-
» laribus, eſt hoc: vt nullus ob alterius eiuſdem prouinciæ deli-
» ctum, ſiue debitum (quod aliquando ex peruerſa conſuetu-

Iniuriæ excluſio.

» dine factum, auditum ſit) aliquod damnum eis inferat. Non vult, quenquam ob alterius delictum, vel debitum, conueniri: aut factum culpamúe alterius luere: ideoq́ue nec rebus ſuis priuari: nec ἐνεχυρασμὺς, pignerationes vel repreſalias, in eum exerceri (etiamſi aliâs in homines eiuſdem cum debitore prouinciꝫ, ſint conceſſæ.) In ſumma, nec perſonꝫ vult, nec rebus Scholarium, vllum damnum inferri. Quemadmodum ſcilicet nec Moſaica lex, patres pro filijs, nec hos pro illis, occidi ſinit: nec ciuiles leges, ob maritorum culpam vxores, aut patres ob pecuniam, quam filij emancipati mutuam ſumpsêre, inquietari permittunt. Quòd ſi quis contra hoc interdictum fecerit, ſiue temerator eius fuerit: aut ſi Magiſtratus loci, vel Rector, vindicare iniuriam neglexerit (nedum, ſi doloſè conniuerit) in pœnas vterque ex hac conſtitutione incurret: prior, vt factor iniuriæ: poſterior, vt approbator. In quas pœnas? Vterque in has, quas ſubiuncta verba

Deut. 14. Moſes, ante Chriſtum 1480. Cod. Iuſtin. lib. 4. Tit. 12. & 13. Iuſtinianus Imp. anno Chriſti 530.

» exprimunt. Sciant & conſtitutionis huius temeratores: &
» ipſi etiam locorum Rectores, qui hoc vindicare neglexerint:
» reſtitutionem rerum ablatarum ab omnibus exigendam in
» quadruplum: notaq́ue infamiæ eis ipſo iure irroganda, di-
» gnitate ſua ſe carituros in perpetuum. Triplex hîc cuiq; violatori pœna eſt: reſtitutio rerum ablatarum quadrupla, priuatio dignitatis perpetua, excludens ab omni in poſterum honore infamia.

Simile quid huic legi, in priuilegijs Eberhardi noſtri
» eſt, cùm dicit: Wir wöllen auch / daß niemands zu Tüwingen /
» keinem Maiſter oder Studenten / auff Bücher leihe: die kauffe / oder
» verpfende: ohn ſonder vrlaub eines Rectors zu zeitten. Wer das vber-
» führe: der ſoll von ſtund an verfallen ſein / viertzig guldin: vnnd nicht
» minder die Bücher ohn entgeltnus wider geben / ꝛc.

Sequi-

Sequitur TERTIVM priuilegium. Si litem eis quiſpiam ſuper aliquo negotio mouere voluerit: huius rei optione data Scholaribus: eos coram Domino, aut Magiſtro ſuo, vel ipſius ciuitatis Epiſcopo, quibus hanc Iuriſdictionem dedimus, conueniat. Qui verò ad alium Iudicem eos trahere tentauerit: causâ, etiamſi iuſtiſsima fuerit, pro tali conamine cadat.

Tertium priuilegium.

Agitur hîc de foro competenti Scholaſticis: quando de aliquo negotio (maximè, ciuili) conueniuntur. Non ſubijciuntur Rectoribus locorum, vel politicis Magiſtratibus: ſed apud Dominũ, aut Magiſtrum ſuum (hoc eſt, apud Præceptores ſuos) ſunt conueniendi (ſiue in particulari, ſiue in vniuerſali, Schola verſentur) aut ad Epiſcopum ciuitatis deferendi ſunt. Optio tamen ipſis permittitur: num ad Rectorem Scholæ, vel ad Magiſtrum ſuum (non alium) an ad Epiſcopum, ire malint: cùm aliâs non Reis, ſed Actoribus, conceſſum ſit: vt hoc, aut aliud forum, eligant. Qui verò hîc ad alium Iudicem, quàm ad iam dictos, trahere Studioſos tentauerit: hoc eſt, etiamſi non traxerit, ſed tantùm conatus fuerit trahere: is, è præſenti Friderici ſtatuto causâ ceciderit: licet ea alioqui iuſtiſsima fuerit. Adeo Scholaribus Imperator hoc loco fauet. Principis autem Eberhardi ſanctio, hæc eſt, Wir geben einem jeggli[illegible]en Rector zu zeitten / oder ſeinem Statthalter / vollen Gewalt / v[illegible]ichtung oder recht zuſprechen / ꝛc. Ob aber ein Lai / mit einem Maiſter / oder Studenten / zuſchaffen hett: ſoll jhm der Maiſter / oder Student / antworten vor ſeinem Rector / ꝛc. Der Lai aber / einem Maiſter oder Studenten / der mit jhm zuſchaffen / vor Vnſern Amptleuten / ꝛc.

Tres Iudices Studioſorum.

Hactenus, priuilegia Imp. Friderici.

Age iam quarto loco cauſas conſideremus: cur ille Scholaſticis hæc priuilegia dederit, pio beneficio indulgens. Quæ ſunt ex cauſæ? Magnæ & grauiſsimæ: à præcipua quadam erga ipſos affectione animi, & dilectione, profectæ, vt expreſsè ponerentur.

Δ'. Cauſæ horum priuilegiorum.

Dignum exiſtimamus, inquit: vt, cùm bona facientes, noſtram laudem & protectionem omnes mereantur: eos,

» QVORVM SCIENTIA MVNDVS ILLVMINATVR: & ad » obediendum Deo, & nobis eius Miniſtris, vita ſubiectorum » informatur: quadam ſpeciali dilectione ab omni iniuria de- » fendamus.

Quibus verbis oſtendit Auguſtus: ipſos propter maxima merita, tali defenſione dignos eſſe.

Quæ ſunt ea merita?

1. Illuminatio Mundi.

Virgil. & Heſiodus. Heſiod. ante Chriſtum 850.

Vnum eſt, quòd eorum ſcientiâ Mundus illuminatur. Proh Deum immortalem: an non cœleſtis ille Sol, quem Poëtæ Phœbêam Lampadem, & Φαεσίμβροτον, vocant, Mundi illuminator eſt? Quomodo igitur pauci terreſtres homunculi Mundum illuminant? Illuminant profectò, non tamen radijs oculos corporeos ferientibus: ſed lumine diuinarum humanarumque literarum, animos naturâ propter primorum hominũ peccatum cæcos illuſtrante. In primis S. Theologia hoc facit ex verbo Dei: quod lucerna pedibus noſtris eſt. Docet enim, quid naturâ ſimus: quid per gratiam Dei fiamus. Naturâ, perditi ad inferos peccatores: per gratiam Dei, fiduciâ in Chriſtum, beati in cœlo ciues. Deinde, Iurisprudentia iuſtitiam erga homines, quibus cum verſamur, docet & conſeruat: vt alijs faciamus, quod nobis ab eis fieri velimus. Tum, Medica ſcientia corpus noſtrum conſiderat: & ſanitati eius, vel conſeruandæ, vel reſtituendæ, conſulit. Poſtremò, cognitio linguarum, artium, Philoſophiæ, his facultatibus omnibus inſeruit, & auxilium præbet.

Pſalm. 119. Dauid, ante Chriſtum 1070.

Imperij Rom. Salus.

Salus igitur Imperij Romani, à Scholis, & Scholaſtico genere hominum, dependet. Sine ijs Imperium rectè & feliciter adminiſtrari non poteſt. Obſcurum, cæcum, perturbatum, perpetuis in tenebris iaceret: niſi lumen literarum, & præclariſsimarum ſcientiarum artiumque, affulgeret atque irradiaret.

2. Obedientia erga Deum & Magiſtratum.

8. Plin. 36. Qui 70. anno Domini floruit, & 82. perijt.

Alterum meritum Scholaſtici cœtus eſt: quòd obediendum Deo, & Imperatori cæteriſque Magiſtratibus, Dei Miniſtris, vita ſubiectorum informatur à viris doctrina præditis. Subiecti, quaſi informe quoddam animal ſunt (ſicut informis caro recentis partus vrſarum) informe autem animal mori-

moribus inconditis, & ferocitate. Itaque, naturâ rebelles, & licentiæ auidi. Vnde ethnicus quoque Xenophon teſtatur: ſe, conſideratione hominum & beſtiarum animaduertiſſe: ὡς ἀνθρώπῳ πεφυκότι, πάντων τῶν ἄλλων ζώων ἐστὶ ῥᾷον, ἢ ἀνθρώπων, ἄρχειν: homini facilius eſſe, quibuſuis alijs animantibus imperare, quàm hominibus. Mox tamen corrigit eam ſententiam: & exemplo barbari Perſarum Regis Cyri oſtendit: Μήτε τῶν ἀδυνάτων, μήτε τῶν χαλεπῶν, ἔργων εἶναι, τὸ ἀνθρώπων ἄρχειν: ἄν τις ἐπισταμένως τοῦτο πράττῃ: non eſſe difficile, nedum impoſsibile, tenere in homines Imperium: ſi quis debitam in eo ſcientiam adhibeat. Eam autem ſcientiam eruditi homines ex Scholis & libris afferunt: qua vitam informium ſubiectorum informant: Theologi præſertim, & Iureconſulti: dum ſubiectos, ex ſacris literis, & iuſtis legibus, docent: Deo obedienter dandum eſſe, quod Dei ſit: Cæſari, quod Cæſaris. Dei ordinationem eſſe quoſuis Magiſtratus. Non fruſtrà hos gerere gladium: ſed bonis, ad ſalutem: malis, ad terrorem. His vel conſcientiæ causâ obediendum eſſe. Neceſſariò requiri: vt alij præſint, alij ſubſint. ἀναρχίαν, euerſionem aut abrogationem Magiſtratus, extremam eſſe tyrannidem, licentiam ſcelerum omnium, & interitum hominum ciuitatumque. Sic ergo Scholares, maximi artifices ſunt: qui ſubiectos, informem carnem, linguâ diuinarum & humanarum literarum lingunt: atque ad conuenientem formam perducunt. Optimè igitur merentur de rebus humanis, in primis autem de Magiſtratu omni: inobedientiam, petulantiam, pertinaciam, & ſeditionem, excludentes: obedientiam, modeſtiam, æquitatem, tranquillitatem, introducentes. Quod ſapiens Imperator, & grato animo agnoſcit, & ingenua confeſsione prædicat.

Procem. παιδ. κύρ.

Homo, von Natur ein grobs hölzlin/ informis maſſa: ſed expolitur recta inſtitutione.

Matth. 22.
Rom. 13.

Eximia Scholarum merita.

Digni itaq;, Studioſi, tum qui docent, tum qui diſcunt, his priuilegijs, propter excellentia ſua promerita: illuminationis videlicet Mundi, & eruditionis Subiectorum ad obediendum Magiſtratui: vt hominibus, velut rudi materiei, inducatur pulchra & laudata forma: quæ faciat, vt iam verè ſint homines: cùm antea informes eſſent belluæ. Melicus itaque

Simonides, ante Chriſtum 570. Plut. in Ageſil.

clari nominis Poëta Simonides, vrbem Spartam laudans: quòd ea ciues χειροήθεις καὶ πειθηνίους, manſuetos & obedientes, faceret: tanquam equos ἐυθὺς ἐξ ἀρχῆς δαμαζομένους, ſtatim ab initio domitos: illam vrbem, δαμασίμβροτον, domitricem hominum appellat.

Ariſtot. 1. Polit. 2.

ἄνθρωπος (vt Philoſophus inquit) χωρισθὲν νόμου καὶ δίκης, χείριστον πάντων τῶν ζώων: ὥσπερ ὂν καὶ τελεωθὲν (id eſt, εἰδοποιηθὲν) τῶν ζώων βέλτιστον. Homo expers legum & iuſtitiæ, peſsimum eſt omnium animalium: ſicuti contrà, his rebus benè informatus, animalium optimum. Qui autem hominibus talem formam inducunt: qui ſic Mundum illuminant, vt & Deo & Principibus placentia fiant: an non ſunt

Nobilitas Doctorum.

Petrus Rebuff. Monte peſſulanus, priuilegio 45. Scholares poſt adeptam ſcientiam, poſſunt dici & intelligi nobiles ſcientiâ. Erat is Profeſſor Iuris Lutetiæ 1530.

inſignes artifices? An non heroës quidam, & nobiles homines? Etiamſi enim non in prælijs hoſtem occidunt: etiamſi non Maiorum ſanguine nobilitati ſunt: tamen duos teterrimos animi hoſtes occidunt: ignorantiam mentis, & improbitatem voluntatis. Teſtatur Imp. Fridericus, illuminationem Mundi eis tribuens, & effectionem obedientiæ erga maieſtatem ſuam: teſtantur homines excellenter docti: teſtatur ipſa rei veritas. Τιμὴ δ' ἰσόῤῥοπος οὐκ ἂν γένοιτο αὐτοῖς: æſtimatio mercedis æquilibris, & honor meritis ipſorum dignus, tribui non poteſt, Ariſtotele teſte. Ornant & iuuant ipſi nobilitatem & Principes. Ergo viciſsim ab ipſis ornandi & iuuandi ſunt.

9. Ethic. 1.

Neceſsitas priuilegiorum.

Iam verò non modò merentur talia beneficia & prærogatiuas, bona facientes, Diſcipuli (poſtea Doctores) verùm etiam valde ijs opus habent. Quod his verbis Imperator
» oſtendens, QVIS ENIM EORVM NON MISEREATVR, in-
» quit: qui amore ſcientiæ facti exules, de diuitibus pauperes,
» ſemetipſos exinaniunt: vitam ſuam multis periculis expo-
» nunt: & à viliſsimis ſæpe hominibus (quod grauiter feren-
» dum eſt) corporales iniurias ſine cauſa perferunt?

Dignos miſericordia eos dicit, propter multas cauſas: vt ipſis per priuilegia ſuccurratur.

Vna cauſa eſt, quòd amore ſcientiæ, ipſimet ſibi voluntarium indicunt exilium: id eſt, relicta domo & patria, longinquas peregrinationes ſuſcipiunt: in loca videlicet, vbi artes

tes & ſcientiæ docentur: ſicut Plato quondam, Athenis in Italiam, Siciliam, Aegyptum, peregrinatus eſt. Prodeſſe Ariſtoteles ait τὰς τῆς γῆς περιόδους, peregrinationes per remotas regiones: vt inde accipiantur οἱ ἐθνῶν νόμοι, leges & inſtituta gentium. Fridericus hoc loco, finem earum ſcientiæ acquiſitionem ponit. 1. Rhet. 4.

Altera cauſa eſt, quòd Scholares de diuitibus fiunt pauperes: propter ſumptus in profectionibus: ſumptuoſioremque in locis exteris viuendi rationem: cùm præſertim vulgo detrahi Studioſis ſoleat, quicquid abradi poteſt. In patria etiam bona ipſorum, dum abſunt, ſæpe non creſcunt.

Tertia: quoniam ipſi ſe exinaniunt: id eſt, humiliter ſe apud alios demittunt: vigilandoque, & in ſtudijs ſudando, ſeſe emaciant.

Quarta: quòd inter peregrinandum expertes periculorum non ſunt: & interdum in ſpoliatores, aut etiam interfectores, incidunt.

Non enim ſemper habent Comites itineris (inquit Rebuffus) ſi pediculos adimas.

Poſtrema cauſa eſt: quòd ibi etiam, vbi diſcendi gratiâ commorantur, nonnunquam tuti non ſunt: idque trium rerum reſpectu: videlicet, quòd patiuntur & corporales iniurias, & ſæpe à viliſsimis hominibus, & ſine cauſa. Quæ certè grauiter ferenda, miſericordi Auguſto videntur. Tantò enim eſt grauior iniuria (inquit Baldus) quantò minor iniuriatur maiori: & grauius punienda, & non diſsimulanda. Itaque Imperatoris profectò indigent protectione: ac dilectionem quandam ſpecialem illius promerentur, ac laudem: illi duntaxat, qui bona faciunt. Nam ſi quis Scholaſticorum ſe malè gerat, nec correctionem admittat: eum Imperator nec laudabit, nec miſericordia & defenſione ſua dignum iudicabit: vt quiuis facilè intelligit.

Hæc, de cauſis: quare conceſſa ſint hæc priuilegia Studioſis & Profeſſoribus. Mundum enim ſcientia illuminant: ſubditorum obedientiam erga Rectores Reipub. efficiunt: & viciſsim relationem gratiæ, protectionemque, ab his requirunt. Quibus conſonant hæc etiam: quæ in priuilegijs Principis Eberhardi ſunt: Wir haben vns außerwehlt vnd für- "

» genommen / ein hohe gem:ine Schul vnnd Vniuerſitet / in Vnſer
» Statt Tüwingen zuſtifften vnnd vffzurichten : helffen zugraben den
» BRVNNEN DES LEBENS: darauß von allen endē der Welt/
» vnuerſeichlich geſchöpfft mag werden tröſtlich vnnd heilſame Weiß-
» heit: zu erleſchung des verderblichen fewrs menſchlicher Vernunfft
» vnd Blindtheit.

Fons vitæ Principis Eberhardi.

Fontem vitæ, Academiam ſuam nominat: ex quo, nunquam arido futuro, à Studioſis, ex omnibus partibus orbis venturis, hauriri poſsit ſalutaris, & conſolationis plena, ſapientia. Sicut ſcilicet timor Domini, & eruditio poſsidentis, apud Solomonem apppellatur fons vitæ. Πηγὴ σοφίας (inquit Siracides) λόγος θεοῦ ἐν ὑψίστοις: Fons ſapientiæ, verbum Dei in excelſis. Γνῶσις σοφοῦ, ὡς κατακλυσμὸς πληθυνθήσεται: καὶ ἡ βουλὴ αὐτοῦ, ὡς πηγὴ ἁγνὴ ζωῆς: ſcientia ſapientis, ceu inundatio abundabit: & conſilium eius, velut fons ſacer vitæ. In Apocal. Dominus, Ἐγὼ τῷ διψῶντι, inquit, δώσω ἐκ τῆς πηγῆς τοῦ ὕδατος τῆς ζωῆς δωρεάν: Ego ſitienti dabo ex fonte aquæ vitæ gratis. Exuberat fons Gymnaſij Tybingenſis, riuis ſapientiæ diuinæ & humanæ: qui in multas & longinquas regiones profluunt. In quem autem D. Eberhardus vſum hauriendam ſtatuit, illam ſalutarem & conſolatoriam ſapientiam? Ad extinguendum pernicioſum ignem humanæ rationis, & cæcitatis. Ad omnes nimirum ſuperſtitiones, ſectas, & cultus diuino Verbo deſtitutos, aut aduerſantes, abolendos & eradicandos. Nemo faciat illud, quod ſibi rectum videtur. Fruſtrà colitur Deus doctrinis & mandatis hominum. Ad hunc igitur fontem vitæ, qui ſititis, adeſte: abſque argento & precio vinum & adipem emite.

Prouerb. 14. & 16.
Sirac. 1. & 21. Qui librum ſuum 229. anno ante Chriſtum ſcripſit.
Apoc. 21.
Deut. 12.
Matth. 15.
Eſai. 55. Qui 800. anno ante Chriſtum floruit.

5. Auctoritas huius Authenticæ.

Venio nunc ad quintum & poſtremum huius conſtitutionis, vel legis: quod eſt, vt breuiter videamus: quantæ auctoritatis ea ſit. Eſt equidem maximæ auctoritatis. Non enim temerè ex ore Imperatoris excidit: ſed deliberatum de ipſa maturo conſilio fuit: in conſeſſu nempe reuerendiſsimorum, illuſtriſsimorum, & ampliſsimorum virorum, Laicorum & Clericorum: videlicet Epiſcoporum, Abbatum, Ducum, Iudicum omnium, & aliorum Procerum: adhibita diligenti

ligenti & prudenti examinatione. Deinde, à potentiſsimo & ſapientiſsimo Imperatore propoſita, approbata, in æternum valere iuſſa & ſancita. Ideo, inter Imperiales conſtitutiones, in CODICE IVSTINIANI, ſub titulo, NE FILIVS pro patre, &c. inſeri mandata: idque propter hanc cauſam: quòd, ſicuti filius non ſit conueniendus pro patre: nec alius, pro alio: ita nec Scholaris, pro alio: quemadmodum antea dictum eſt. Igitur ſollicitè, prudenter, clementer, & conſtanter, concepta, perſcripta, roborata, & edita, hæc eſt conſtitutio. Cui omnia hæc (vt & liberalibus artibus, vtilibusque diſciplinis) magnam afferunt dignitatem & commendationem. Cod. lib. 4 Tit. 13.

Conuenienter huic concludendi modo, noſter quoque Eberhardus, ſua Tybingenſis Vniuerſitatis Studioſis priuilegia conceſſa concludit, his verbis. Darumb gebieten wir ernſt- “
lich: daß alle Vnſere Ampteleut / ſchützen vnnd ſchirmen / ohn wider- “
red vnd fürwend / veſtiglich in ewige zeit / in gemein vnnd ſonderheit/ “
alle gnad / freiheit / ſchirm / recht / vnd ſchützung: ſo Wir Doctorn/ “
Maiſter / vnnd Schulern / vnnd den jhren / Vnſers Studiums zu “
Tüwigen / mit gutem willen geben haben / ꝛc. Darumb / daß nie- “
manes ſein vnwiſſenheit entſchuldigen mög: ſoll diſer Brieff alle jar “
an S. Görgen tag/ in S. Görgen Kirchen/in bey ſein eines Vogts/ “
vnd zweier Richter / von dem Stattſchreiber verleſen werden / vor al- “
lem Volck: bey ſtraff hundert guldin/ der Vniuerſitet verfallen. “

Diximus iam, quantum ſatis nobis eſt, de maximi Imp. Friderici conſtitutione & priuilegijs. Si quid amplius requiritur: ab ipſis petatur iuſtitiæ Sacerdotibus.

Iam cùm Auguſti Romani, & clari Principes, tantâ clementia, charitate, indulgentia, Studioſos & ſtudia proſecuti ſint: cùm ita honeſtè de artib. & diſciplinis ſenſerint (quemadmodum ex hiſce priuilegijs luce meridiana clarius eſt) age nunc ad tertium & vltimum caput eorum, quæ dicenda initiò propoſueramus, tranſitum faciamus: vt, quid Scholares viciſsim facere, & quomodo ſe gerere, debeant, aliquatenus demonſtremus. 3. STVDIOSORVM officia.

Te hîc rurſus, magnifice & præclariſsime cœtus, magno

 roga-

rogatum operę volo: vt, quam huc vſque patientiam audiendi præſtitiſti: hanc etiam deinceps, dum adoleſcentibus quædam vtiliter commemorem, ac deinde reliquam orationem abſoluam, præſtare digneris.

Præcepit ſubiectis hactenus Fridericus: quomodo erga Studioſos, candidè & beneuolè, non malignè & iniquè, affectos eſſe oporteat. Multi enim de Studijs malè ſentiunt: & id Friderici quoque temporibus factum eſſe, intelligimus. Ac ciuitates hodie contra Vniuerſitates inſurgere Rebuffus ait, quas apud ſe habeant: nec cognoſcere, quid honoris boniúe ſibi per eas accedat. Quarum ciuitatum naturam, natis viperæ ſimilem eſſe: quæ partu natorum, corroſis à fœtu lateribus, euiſceretur. Poſt beneficia igitur, quæ Scholaribus à Friderico data ſunt, ſubijciantur nunc etiam aliqua Studioſis præcepta, rectè viuendi atque diſcendi, & à contrarijs abſtinendi.

ά. Præcepta ſequendorum.

Pietas.

PRIMVM ergo præceptum eſto: vt pios ſe præbeant aduerſus Deum: qui eos ad ſtudia ſcientiæ ſapientiæque, per parentes aut patronos deduxit: vt grati ſint erga Imperatores & Primates: qui eximias Scholas conſtituerunt, priuilegijsque maximè vtilibus dotauerunt: vt reuerentes ſint parentum, præceptorum, & Doctorum ſuorum: quibus nulla par gratia referri poteſt. Α᾽ξίοις οὐδεὶς ἂν τὴν ἀξίαν ἀποδιδοίη, vt Philoſophus loquitur. Præceptor ſemper debet præcedere (vt in ſexto Studioſis neceſſario Rebuffi eſt) quoſuis Scholares: & Diſcipuli, inſani ſunt, & infames: qui Doctorum ſuorum vitam reprehendunt, vel accuſant.

8. Ethic. cap. vlt.

Honeſtas.

SECVNDVM præceptum. Honeſtatis, veritatis, caſtitatis, modeſtiæ, humilitatis, amantes & tenaces ſunto. Honeſti enim tantam eſſe pulchritudinem Cicero ex Platone dicit: vt, ſi oculis cerneretur, mirabiles amores excitaret ſapientiæ. Δεινοὺς ἂν παρεῖχοι ἔρωτας: εἴ τι τοιοῦτον ἑαυτῆς ἐναργὲς εἴδωλον παρεῖχοιτο, εἰς ὄψιν ἰόν. Veritatis via, ſimplex eſt: mendacium, ſi tueri ſe velit, multa diuerticula habet. Α᾽πλῆ μὲν, τῆς ἀληθείας ἡ χάρις (inquit Theodoretus) πολυσχιδὲς δὲ καὶ ποικίλον, τὸ ψεῦδος. Qui ambulat ſimpliciter (inquit Solomon)

Cic. Offic. 1
Plato in Phædro.

Περὶ προνοίας λόγῳ ά.
Vixit 450. Domini.

Prouerb. 10.

mon) ambulat fidenter. Qui autem deprauat vias ſuas, deprehenditur. Caſtitas, Angelicæ quid pulchritudinis habet (vt in Ioſepho Iacobide) eamque etiam Timotheo ſuo præcipit Apoſtolus: Σεαυτὸν, ἁγνὸν τήρει. Modeſtia ita decorat adoleſcentem: vt primam huius ætatis commendationem proficiſci Tullius dicat à modeſtia: tum pietate in parentes, tum in ſuos beneuolentia. Humilitatem denique indui & innodari, ἐγκομβώσασθαι, S. Petrus iubet: quòd humilibus Deus gratiam det, ſuperbis autem reſiſtat. Geneſ. 39. ante Chriſtum 1715. 1. Tim. 5. Offic. 2. 1. Pet. 5.

TERTIVM præceptum. Diligenter quiſque audito lectiones ſibi aſsignatas: nec, quoad fieri poteſt, vel vnam negligito. Cohærent enim inter ſe lectiones ſingulæ, quemadmodum anſulæ in catena. Quare, qui lectionem negligit, catenam ſoluit: vt ea non amplius anſulis cohæreat ſuis. Iccirco auditio lectionum continuetur: ſed & eædem accuratè repetantur. Lectionum auſcultatio.

QVARTVM. Diſputationum & declamationum exercitia vſurpantor. Vt enim frictiones, calore excitando, carnem corporis adaugent (αἱ τρίψεις σαρκοῦσιν) ita & iſtæ exercitationes ſcholaſticæ, eruditioni animi adaugendæ conducunt. Summâ, in Schola domique, diuinarum humanarumque rerum notitiæ cōparandæ aſsiduè ſtudetor. At eas etiam idoneo, vſitato, dilucido genere orationis, ad alios proferre conſueſcitor. Diſputationes & declamationes. Ariſtot. 37. Problem. 3.

QVINTVM. Semper occaſionem rectè ſe gerendi, dum ea capillis teneri poteſt, ſtudioſus adoleſcens retinero, vt finem propoſitum aſſequatur. Nam vbi illa, calua fuerit facta, id eſt, non amplius apprehendi potuerit: fruſtrà poſtmodum requiretur. Occaſiones autem ſunt: habere bonum ingenium, ætatem viuidam, Parentes aut Mæcenates liberales, præceptores egregios, ſufficientem victus cultusque corporis prouiſionem. Quocirca ſemper cogitet adoleſcens, cur ſit hîc. Sic poteſt aliquis, etiamſi durioris ingenij fuerit, aſſiduitate ſtudendi, adæquare ſeſe ingenioſo: qui fiduciâ doni ſui negligentior ſit: quomodo alijs etiam in rebus induſtria ſecordiam præcurrit. Proinde ſapiens ille Homeri Neſtor, filio Occaſionis retentio. Iliad. 23.

filio Antilocho: qui deterioribus etiam equis, curſu cum habentibus generoſos equos certaturus erat, præcipit:

αἰεὶ τέρμ' ὁράαν, καὶ τὸν προὔχοντα δοκεύειν: ſemper oculos referre ad metam: ſollicitè obſeruare præcurrentem, vt eum aſſequi enitatur. Et prudenter. Talis enim Ζῆλος, vel æmulatio, ab Heſiodo laudatur. Itaque filium ſenex ille iubet, ἐγγύθεν currere: id eſt, proximâ via: videlicet ἐπ' εὐθείας, rectâ linea, vtpote breuiſsima, metam verſus: non declinando ad exteriores & longiores lineas, vel ad ambages. Videlicet τὸ ἔργον, opus propoſitum, maximè tractandum eſt: non autem τὰ πάρεργα, quæ extra propoſitum ſunt: niſi modicè, quatenus ad vires reparandas faciunt. Regat Studioſus prudenter equos ſuos: id eſt, reprimat τὸν θυμὸν, impetũ ad iram: vt non prouocet vinitores (apud nos Tybingæ) ad pugnam: contineat τὴν ἐπιθυμίαν, cupiditatem & laſciuiam: nec pro Mathematico corpore, ſibi phyſicum corpus ante tempus comparet. Hæc locus de Neſtore, quem non ita pridem in Homero explicabamus, me hîc dicere admonuit. Nimirum à ſenibus & patribus, qualis erat Neſtor, diſcitur prudentia. Ideo, ſtudioſè audiendi. Huc illud quoque eiuſdem Vatis pertinet:

Op. & dierum 1.

Γηθόσυνος δ' οὔρῳ πέτασ' ἱστία δῖος Ὀδυσσεύς. Lætus ſecundo vento velum expandit Vlyſſes: id eſt, auidè occaſionem arripuit. Cùm ventus ponè aſpirat naui: nauigandum certè eſt.

Odyſſ. 5.

Hæc, & his affinia, præcepta, frequenter iuuentuti à nobis dantur. Non autem habet quicquam tale in ſua conſtitutione Imp. Fridericus. Quam ob cauſam? De illis enim agit ibi Scholaribus: qui iam, vt adultiores, ipſi ſe regere poſſunt: & bona facientes, ipſius laudem & protectionem merentur. Horũ ſecuritati, quoniam ſæpe longè peregrinantur, & varijs periculis obnoxij ſunt, paterno quodam affectu, illa ſua cõſtitutione ſuccurrit, vel potius præcurrit. Præcepta verò morum & ſtudiorum, adoleſcentibus danda, prudentiæ & fidei Præceptorum committit. Ipſe extrinſecus illud ſuum munus agit: ſed Præceptores vult ſuum intrinſecus agere.

Qui

Qui iam ex adoleſcentibus prudens eſſe volet: magna cum cura & diligentia vitabit illa omnia, quæ his præceptis aduerſantur.

β.' Præcepta fugiendorum.

Non enim eo tempore, quo ſacræ conciones habentur, ſe ſubducet: nec in cœmeterio ambulans garriet. Non interdiu ignauus dormiet, ſcholasque negliget: noctu verò ebrius per plateas vagabitur, furioſè vociferans, inſontesque lapides gladio cædens. Tales non bona faciunt: nec laudem & amorem Auguſti promerentur. Domi potiùs manebit: ſobrietate gaudebit: & honeſto ſuauique muſicæ cantu, Deum & homines, ac ſeipſum, oblectabit. Non ergo noctu diſcurſabit ſtultè & temerè: nec periculo vitam ſuam (non ob amorem ſcientiæ honeſto, ſed propter petulantiam turpi) exponet. Non ab aliquo viliſsimo homine (haud in peregrinatione, ſed in ciuitate) corporali læſione afficietur. Cogitabit potius, nocturnas iſtas vagationes, & diurnam ſomnolentiam: tum ſuperbiam, contumaciam, temulentiam, profuſionem paternorum bonorum, eſſe contra Deum & homines: contraque dignitatem ſtudiorũ & Studioſorum. Studioſi enim, comparatione vulgi, equidem non vulgares, ſed nobiles homines, ſunt. Non igitur ipſi ſe in lutum vitiorum & flagitiorum, inſtar lutulentorum ſuum, abijcere debent. Noctu domi--manſionis, quemadmodum ſilentij, tutũ præmium eſt. Legantur tunc S. literæ: muſica tunc (& quæ voce humana, & quæ inſtrumentis, exercetur) vtile crepitaculum eſt: ſeu πλαλαγὴ (vt Philoſophi Archytæ verbo vtar) laudanda: ne quis interim ad excurſiones, & in vitia, ac pericula, delabatur. Inſpicere quoque, & conſiderare, tabulas Geographicas atque Chorographicas, & Chronologiam alicuius exquiſiti Scriptoris legere, memoriæque hæc infigere, ad hiſtorias ſacras & profanas prodeſt. Ludus denique acierum (ſi quis interdum ludere velit) ingenia acuens ratiocinando, & futura præuidendo, honeſta exercitatio eſt: potiùs, quàm aleæ luſus, quem caro fugi iubet.

Veggiare alla Luna, & dormire al Sole, non fa ne prò, ne honore.

Rixoſi (inquit Rebuffus) in Vniuerſitatibus commorari non debent, ſed in carceribus: & domus propriç eorum, ſunt carceres: ne alios, qui boni ſunt, inficiant.

Qui brebis ſe fait, le loup le menge.

Ariſtot. 8. Polit. 6.

Non etiam Studioſus adoleſcens, qui ſuperiora illa præcepta cogitabit, ſe blanditijs amatorijs, coniugioque intempeſtiuo,

In malè feriata coniugia.

peſtiuo, implicari ſinet. Scit enim, non eſſe hanc cauſam: cur à ſuis reuerendis parentibus, beneuolis cognatis, fidelibus curatoribus, liberalibus patronis, huc miſſus ſit: ſed ideo, vt pietatem, honeſtatem, eruditionem, tanquam bonas & vtiles merces, aliquando ſecum in patriam adferat. Quarum rerum causâ, omnia facere debet, ne in vitia incidat. Nam ſi non (vt Venuſinus Poëta inquit)

Horat. 1. Epiſt. 2. Vixit 30. ante Chriſtum.

Poſces ante diem librum cum lumine: Si non
Intendes animum ſtudijs, & rebus honeſtis:
Inuidia vel amore vigil torquebere.

Declinandum igitur ab hoc phlegmatico genere, blandiſque Sirenibus eſt: ſicut etiam Siculus Vates Moſchus inquit:

Moſchus, ante Chriſtum 160.

Φεῦγε. Κακὸν, τὸ φίλαμα. Τὰ χείλεα φάρμακον ἐντί.
Oſcula declina. Sub labris, terra venena.

Sic multa & magna mala declinabuntur.

Quòd ſi quis (quod tamen rarius fit) in hoc genere apud nos peccat: parentesque ſuos, quos non antea conſuluit, contriſtat: nobis valde ingratum eſt. Fit enim, vt Schola ſic infametur ad exteros: quò minus libenter aliqui poſtea filios ſuos huc mittant. At nouit Deus, Doctores & Magiſtros, id eſt, Senatum Academiæ ampliſsimum, prudentiſsimum, in iuuentute regenda diligentiſsimũ & fideliſsimum, huiuſmodi peccata vehementer improbare: identidem prohibere: ac pro virili parte ſua contrà ire. Non etiam permittit, vt in victu & veſtitu non neceſſarij ſumptus fiant. Sed quæ tanta prudentia ſit, tanta circumſpectio, in vllo Imperio: quæ omnes peccandi aditus, obſtructos ſeruare poſsit? Proinde nec oppidanorum eſt, filias ſuas peregrinis Scholaribus, inconſultis inuitiſque ipſorum Parentibus, coniungere: aut ſumptibus inuitilibus anſam dare. Nec latet oppidanum Magiſtratum, talia prohibenda eſſe. Fit officium, quando quiſque cogitat: quod ſibi non fieri vellet, nec alteri fieri debere. Nec ſumma tamen diligentia & vigilantia, omnia inconuenientia cauere poteſt. Quiſque adoleſcens, ipſe ſibi diligenter caueat.

Matth. 7.

Præter

Præter hæc, quæ hactenus bonis adoleſcentibus cauenda diximus, etiam hoc vitandum erit, quod dicam. Si perſpicuè animi ſenſa ſunt explicanda (ſicuti ſanè faciendum eſſe, ſuprà monuimus: omneſque ſano iudicio præditi Rhetores præcipiunt) vitabunt etiam affectatum illum loquendi & ſcribendi modum Studioſi: quem non pauci hodie (neſcio, quo illaudato rancidæ vetuſtatis ſtudio, vel κακοζηλίᾳ) conſectantur: genus ſcilicet quoddam orationis, Saturni potius temporibus conueniens: quam culto & dilucido Ciceronis, & eum imitari ſtudentium, ſeculo. Quod genus, ſæpenumerò ea obſcuritate præditum eſt: vt ad eius vocabula intelligenda, non rarò Lexica diu & laborioſè conſulenda ſint: ſed nec ipſa ſemper diſſoluere intricatos nodos poſſint. Vt interim periphraſes ridiculas taceam. Vt, ſi dicatur: Dediſti nobis heri planè veſpernam pontificalem: ita vt ningulus noſtrum redhoſtire poſſit: hoc eſt, ita lautam cœnam, vt nemo poſſit gratiam referre. Ferreum rerum ſectiuum inſtrumentum, pondere ſuo in ſubiectum pedum noſtrorum delatum eſt: pro eo, quod eſt, culter in terram decidit. Nonnunquam compoſitio decurtata eſt, verbis ſuppreſſis: vt, Tu, quid Grammatica? Quid tu diſcens? Aut pungens & mordax eſt, ſicut ſeruulorum in comœdijs: dictis conciſis inuicem pungentium & mordentium. Quale illud: Egóne illam? Quæ illum? Quæ me? Quæ non? Sine modò. Et illud: Gymnaſium flagri, ſalueto. Reſpondet alter: Quid ais, cuſtos carceris?

Contra affectationem obſoletę antiquitatis & ineptiarum.

Saturnus, vel Sabatius, ante Chriſtum 1980. tempore Abrahami & Semiramidis.

Terent. 1. Eun. 1. ante Chriſtum 158.

Plaut. in Aſinar. Act. 2. Scen. 2. Plautus, Romæ mortuus ante Chriſtum 198.

Tales profectò locutiones & ſcriptiones, in ſoluta & cultiore oratione laudandæ non ſunt. Quamobrem? Complures cauſas curſim recitabo. Copioſè explicet aliquis eloquentiorum: qui ex profeſſo hanc materiam exagitare velit.

Hæc, μειρακιώδη ſunt, iuuenilia & inepta: ſicut etiam Hyperbolæ, adoleſcentum & iratorum magis ſunt: quam ætate prouectorum & prudentium hominum.

Ariſtot. 3. Rhet. 11.

Hæc, ἀγυρτικὰ καὶ πτωχευτικὰ ſunt, Empiricorū circumforaneorum, & mendicorū nequam. Cuius generis eſt hoc: Das iſt ein Philoſophiſch / Sideriſch / himliſch Planeten waſſer: auß influentiſcher/ elementiſcher/natürlicher vñ himliſcher krafft/ nach alter

Ex Hebraica lingua ſunt. Furari. Carnifex. Patibulum.

vnd newer Magiſcher weiß / zu dem duncklen vnnd blöden Geſicht. Et hoc: Du ſolt nicht ienffen / ſonſt würdt dich der Dallinger an den Tholman ſchmiren. Stupent auditores, tanque de ſtatu mentis demoti, huiuſmodi portentis: aut etiam rident: quæ portenta ab Aeſchine θαύματα vocantur: quale ſit illud Demoſthenis, φορμορραφούμεθα ἐπὶ τὰ στενά: inſuimur in anguſtũ, velut in corbem. Ariſtophanes ῥήματα quodammodo μυριάμφορα, mille amphorarum: Horatius verò, ſeſquipedalia verba, nominat.

κατὰ κλῆσ. Aeſchines, ante Chriſtum 336.

Ariſtoph. εἰρήνῃ. Ante Chriſtum 436. Horat. in arte Poët.

Hæc, τοῦ ἀρχαίου πίνου ſunt, antiqui ſqualloris. Topper veniam: pro, Mox veniam. Si tu priſcorum more Francorum te veſtires: an non pueri cum viſu te perſequerentur?

Hæc, σκοτεινὰ καὶ ἀσαφῆ ſunt, tenebricoſa & obſcura. Si lumen Solis excluderes è Muſeo tuo: & pro eo candelam accenderes: quis te ſanum exiſtimaret?

Hæc, τοῦ φυσικοῦ τῆς λατινίδος φωνῆς κάλλους, ἀφανιστικὰ προσωπεῖα εἰσί: naturalis in Latinitate formoſitatis laruæ ſunt, ipſam obtegentes, imò abolentes: tanquam ſi quis in Bacchanalibus laruatus diſcurrat.

Hæc, αὐθαδείας, ἰδιογνωμοσύνης, διαστροφῆς: cuiuſdam ſuperbiæ, pertinaciæ, & peruerſitatis, indicia ſunt: quibus Cicero, alijque illorum temporum cultiſsimi & elegantiſsimi Scriptores, inculti & inelegantes, nec imitandi, exiſtimantur: ſicut olim Cæſar Hadrianus Homerum abolere: & pro eo Antimachum, pleriſque ignotum Poëtam, introducere cogitabat. Qui loquuntur hoc modo: ij non communi greſſu, ſed grallis, ingredi videntur, vt alios ſupereemineant. Bene ſit iſtis grallatoribus.

Xiphilin. qui vixit 1076.

Hæc denique, vt elegantiæ Latinæ, ita veræ etiam religionis, tædium ſignificant: & καινοτομίαν, ſtudium nouationis præſeferunt: non acquieſcente amplius homine in ſimplicitate S. literarum: ſed nouos iam, & abſurdos ſenſus, inibi ſcrutante. Vt, hominem Chriſtum non eſſe inuocandum, ne in vnitate quidem perſonali: quia ſcilicet maledictus ſit, qui in homine confidat. Vt, maiorem hominum partem, quicquid etiam agant, arcano quodam ex omni æternitate conſilio

Hierem. 17. Qui fuit ante Chriſtum 650. & 630.

lio

lio Dei, ad orcum damnatam eſſe: quia ſcil. illud, Deus vult omnes homines ſaluos fieri, ſolùm electos attingat: quòd ſolos electos ſaluari velit: cùm tamen Chriſtus à S. Ioanne vocetur ἱλασμὸς ὅλου τοῦ κόσμου, propitiatio pro toto Mundo.

1. Tim. 2.
1. Iohan. 2.

Attuli rationes aduerſus nouum hoc cacoëthes loquendi & ſcribendi: afferam nunc etiam teſtimonia eruditorum contra idem.

Ariſtoteles lib. 3. Rhet. ad Theodecten, cap. 3. ψυχρὰν λέξιν, frigidum genus dicendi ponit, & improbat. Cuius ſtatuit quatuor genera. Vnum, in verbis compoſitis: vt, ὁ πολυπρόσωπος οὐρανός, quaſi dicas, Multivultium cœlum. Alterum, in peregrinis (ſub quibus, priſca) vt, Σκίρων, σίνις ἀνήρ: Sciro, noxioſus vir. Tertium, in Epithetis ineptis, aut oblongis: vt, γάλα λευκόν, lac album. δρομαία ψυχῆς ὁρμή: pro δρόμος: curſorius animi impetus, pro curſu. Poſtremum, in Translationibus quibuſdam: vt, χλωρὸν καὶ ἔναιμον πρᾶγμα, viride & ſanguineum negotium. Poëtis talia magis conuenire exiſtimat.

Teſtimonia Doctorum contra talia, CASCVS caſcam ducit.

Tullius in Bruto inquit:

(Ruſcius fuit accuſator vetus. Quo accuſante Chirti- „
bium: Siſenna defendens dixit, quædam eius ſputatilicia eſſe „
crimina. (fœda ſignificare volens.) Tum Ruſcius, circum- „
uenior, inquit, Iudices, niſi ſubuenitis. Siſenna, quid dicas, „
neſcio: metuo inſidias. Sputatilica. Quid eſt hoc? Sputa „
quid ſit, ſcio: Tilica, neſcio. Maximi riſus. Sed ille tamen fa- „
miliaris meus, Rectè loqui, putabat eſſe, inuſitatè loqui. „

Iam lib. 8. Quintilianus,

Quintil. vixit anno Domini 80.

Apud T. Liuium inuenio, inquit, fuiſſe præceptorem: „
qui Diſcipulos obſcurare, quæ dicerent, iuberet: Græco ver- „
bo vtens, σκότισον. Vnde illa ſcilicet egregia laudatio: TAN- „
TO melior: ne ego quidem intellexi. Alij breuitatis æmuli, „
neceſſaria quoque orationi ſubtrahunt verba: & velut ſatis „
ſit, ſcire ipſos, quæ dicere velint, quantum ad alios pertineat, „
nihil putant. At ego otioſum ſermonem dixerim: quem au- „
ditor ſuo ingenio non intelligit. Nobis prima ſit virtus, per- „
ſpicuitas.

Deriſus fuit Romæ, præſente A. Gellio (qui hæc 11. lib. cap. 7. ſcribit) quidam cauſidicus: cùm apud Præfectum vrbis dixiſſet:

Apluda & Floces. „ Hic eques Romanus apludam edit, & floces bibit. Apludam videlicet veteres Ruſtici, furfurem frumenti dixerant: & Floces, priſca vox, ſignificauerat vini fecem, è vinaceis expreſſam: ſicuti Fraces, ex oleis.

Reprehenditur apud eundẽ Gellium, lib. 16. cap. 7. Laberius: vt nimiâ licentia in Mimis vſus: vt,

„ Quòd Mendicimonium, & Mœchimonium, & Adulte-
„ rionem, Adulteritatemque: pro Mendicitate, Mœchatione, Adultero, & Adulterio, dixerit.

Philippus autem Melanchthon,

„ Fugienda eſt, inquit in Rhetorica, in ſermone peregri-
„ nitas: & licentiam gignendi nouum ſermonem, nullo modo
„ permittamus nobis, &c. Certiſsimum enim indiciũ eſt mon-
„ ſtroſæ mentis, oratio monſtroſa. Quare diligenter fugien-
„ dum eſt genus ſermonis inuſitatum.

Duo Poſſelij. MAGISTER DENIQVE Ioannes Poſſelius: in Roſtochiana Academia (cui iam diu clarè prælucet reuerendus Theologus Dauides Chytræus) Poſſelius, inquam, pius & egregius Græcæ linguæ Doctor (cui non ita pridem, paternæ eruditionis ac virtutis hæres, eiuſdem nominis filius in eadẽ profeſsione ſucceſsit) Poſſelius ille ſenior, inquam, ad me ante triennium ſcribens:

„ Quis non videt, inquit, impendêre barbariem mul-
„ tò triſtiorem: quam ante centum annos in his locis fuit? Iu-
„ uentus enim amplius regi non vult: diſciplina eſt inane no-
„ men in Scholis. Mutatur vetus & vſitata hactenus ratio pro-
„ nuntiandi: mutatur orthographia. Dicendi genus, quod ex Ciceronis Scriptis, & alijs bonis Autoribus, multis iam an-

nis

68

nis viri docti deprompſerunt, improbatur & contemnitur: “
atque eius loco nouum quoddam genus introducitur. De- “
nique, quò quis obſcurius Latinè loquitur & ſcribit: eò do- “
ctior à multis habetur. Hæc, & ſimilia, non poſſunt non viris “
ſapientibus, & ætate prouectis, dolorem adferre. Hæc, & plu- “
ra, ille doctiſsimus vir. “

Non laudandum certè eſt, deſpici puros illos, limpidos, & amœnos, Tulliani ſeculi fontes: reuocari autem contrà, turbidum illud, & obſcurum, & ſordidum, genus: quod vix laboribus multis & magnis, tempore patrum noſtrorum expurgatum eiectumque eſt. Fugiamus id potius ſedulò. De eo namque verba Ibyci Poëtæ vſurpare poſſemus: Ὁ δὲ φλυαρεῖ, καὶ μάτην ἡμῶν λῆρον καταχεῖ, τοῦ χάους ἀρχαιότερον, καὶ χρονίων ἀπόζοντα. Hoc eſt: Nugatur hic, & nequicquam gerris nos perfundit chamo antiquioribus, ac tempora Saturni redolentibus. Non tuliſſet ne hic priſcus quidem Lyricus, ita priſcum & obſoletum ſermonem. Quò accedit, quòd neque, quantum ad orthographiam quoque attinet, antiquis Italiæ, aliarumque terrarum, Latinè inciſis ſaxis, habendam ſemper fidem ego arbitror. Nam ſæpe Alemanni etiam ſculptores noſtri, perperam literas in lapidibus incidunt: quantumuis diligenter eis ſingulæ literæ, præſcriptæ dentur. Iudicat denique excellentis doctrinæ Gallus Turnebus, qui noſtro tempore vixit: magis ſcribendum eſſe vno L, Paulus & Quintus: quam gemino L L, Paullus & Quinctus.

Floruit Ibycus ante Chriſtum 550. tempore Regum Cyri & Crœſi.

30. Aduerſ. 28.

Diximus, quæ Studioſæ iuuentuti ſequenda & fugienda ſint, fortaſſe ſatis. Quibus tamen hoc de officio ipſorum ſubijcio generatim, quod in Epiſtolis Plinij eſt. Mirè ſilentio & tenebris, inquit, animus alitur: ab ijs, quæ auocant, abductus. Significatur hoc Dicto: eum, qui proficere eruditionis laude velit: non debere dies noctesque euagari, ſodales quærere, helluari: & damnoſo otio bonum tempus conterere: ſed in ſuo ſe Muſeo continere: ſemper aliquid agendo, quod ad rem ſit. Rectè. Vt enim tempore hyemis vigens raphanus, folijs abſciſsis, ſub terra ingeſta & complanata, imbres arcente, ſurſum mittendo nutrimentum, creſcendo æſtate in maius

Plinius hic vixit anno Domini 120. & fuit Plinij, qui naturalem hiſtoriam ſcripſit, ex ſorore nepos.

Domi latendum.

Ariſtot. 20. Problem. 13.

maius proficit: eodem modo ætate florens, officij ſui memor, homo diſcendi auidus, inutilibus ſumptibus abiectis, cum libris ſuis in Muſei ſui ſolitudine quaſi humatus, madidas compotationum voluptates prohibente, ex lectionibus vtilibus eruditionem in caput indendo, progreſſu temporis miros ad doctrinam & laudem profectus aſſequitur.

Cuius rei illuſtre exemplum, omni ſtudioſæ apud nos iuuentuti præbent adoleſcentes illi generoſi, & apprimè nobiles (ſed non magis familiæ dignitate, quam animi nobilitate, conſpicui) quibus nõ ita pridem dulciſsimam noſtram Irenen inſcripſimus: HOHENFELDERI & ENENCKELII: quos honoris & imitationis causâ nomino. Hi enim egregiè docti & fidelis Præceptoris ſui, M. MICHAELIS ZIEGLERI, aſsiduo ductu & inſtructu, perpetuò illa, quæ diximus, facienda facientes, & fugienda fugientes: ea ſpecimina hoc anno dederunt, Latinè & Græcè dicendo, Diſputationes ex omnibus Philoſophiæ diſciplinis ſuſtinendo, in diſputationibus diuinis & humanis argumentando: vt eorum profectus & eruditio (quanquam aliquot annis adhuc à viceſimo ætatis anno diſtantium) non tam optimis quibuſq; Studioſis, quàm excellentibus Scholæ Profeſſoribus, magna, clara, & admirabilis, videatur. Itaque eis, quando diſputationibus ipſorum interfuimus, ex animo gratulati, & omnia fauſta feliciaque precati, ſumus. Rarum enim hoc ſplendidæ domus, eminentisq; nobilitatis, decus & ornamentum eſt. Quo igitur rarius, eò præſtabilius atque charius: ac proinde, verior nobilitas.

Eximij adoleſcentes: Hohenfelderi, Vuolfgangus, & Ludouicus, & Marcus: atque Enenckelius Georg. Acacius.

Quis enim generóſum dixerit hunc: qui indignus genere, & præclaro nomine tantùm inſignis? Vt apud Iuuenalem eſt. Horum ergo exemplum imitentur omnes.

Sat. 8. Qui vixit Chriſti 90.

V. PERORATIO.

Abſolui hactenus, magnifica, nobiliſsima, doctiſsima, & humaniſsima concio, omnia illa tria, quæ principiò pollicitus eram. Expoſui enim vitam, & res geſtas, potentiſsimi, fortiſsimi, omniúque virtute eminentiſsimi, Imp. Friderici Barbaroſſæ: expoſui paternam & indulgentiſsimam tanti Herois de Scholaribus, id eſt, Diſcipulis & Doctoribus, conſtitutio-

ſtitutionem: expoſui, quæ viciſsim à Studioſo cœtu requiratur pro beneficijs grata pietas, officio faciendo, contrarijsque vitandis. Fuit eximij generis Princeps, ille Auguſtus: fuit Scholarum, doctorumque hominum, maximus fautor & patronus. Quanta hinc dignitas Scholarum & doctrinarum: cùm eæ ſummo etiam Monarchæ ita charæ fuerint! Sic decet omnes, qui valent eminentiâ poteſtatis: aut facultatibus maioribus inſtructi ſunt. QVI ENIM SCHOLAS DOCTOSQVE AEDIFICANT ET HONORANT: ſeipſos & ſua ædificant & honorant. Sed nec ipſe Fridericus, indoctus fuit: prudentiâ equidem, & induſtria, & omni Imperatoria laude, admirandus. At neceſsitatem quoque doctrinarum expertus eſt: toties, tam iniquè, tam aſtutè, tam vehementer, à Pontificibus Romanis oppugnatus: quod etiam poſterioribus temporibus, nepoti eius Imp. Friderico II. multis modis accidit. Papæ, quam infeſti Sueuicis Cæſaribus iſti fuêre Papæ! Hinc, eorum in illos calumniæ teterrimæ. Quas Alemanni, cùm eloquentiâ Latina carerent, abolêre non valuerunt: vt in ſuperiore de Principe Eberhardo oratione dictum eſt. Hodie ſatis aboleri poſſunt, & abolentur.

Ego autem, vt die D. Catharinæ, à diui Hohenſtauffenſis Philippi, Regis Rom. laudatiſsima coniuge D. Irena, hunc ſextum meum Philoſophici Collegij Decanatum, quoad orationem habendam, auſpicari volui: ita rurſus in Stauffenſi Friderico Rom. Imperatore, Philippi patre, eundem finiendum duxi: medio autem tempore, Vuirtembergicum Ducem Eberhardum Barbatum (cuius Maiorum non nemo inter Aulicos Friderici vixit) cum voluptate interpoſui. Quanquam enim Prouerbio dicitur: roſam præteritam non eſſe quærendam amplius: ego tamen iſtas, hodie quidem flaccidas, olim autem pulcherrimas roſas, virtutibus adhuc odoratas, requiſiui: ac retuli in medium, quantum licuit & decuit. Perbenè ipſæ ſunt meritæ de ſtudijs. Ergo, ex ſtudijs etiam recordationem ſui honeſtam, veluti roſæ ſuauis odorem, percipere debuêre. Sic minus à ſene illo omnia de ſtatu Concluſio ad tres Orationes.

ſuo dimouente, qui tempus eſt, in obliuionis lacum præcipitabuntur. Nam, vt apud elegantem Poëtam Elegiacum eſt:

1. Tibul. 4.

Quem referent Muſæ: viuet, dum robora tellus,
Dum cœlum ſtellas, dum vehet amnis aquas.

Quapropter etiam hos tres panegyricos noſtros, in hoc nobiliſsimo auditorio, tanta cum benignitate & attentione auſcultatos eſſe, magnas & Deo & hominibus gratias ago.

Commendatio præſentium Candidatorum.

Poſtremò igitur nunc, ad negotium præſens me conuerto: propter quod clariſsimus hic conuentus, hodierno die in hoc loco factus eſt. Produximus enim notabilem numerum, videlicet vnius & quadraginta, honeſtorum & doctorum iuuenum. Erant equidem antea quadraginta duo: verùm pius & eruditus adoleſcens, valde in ſtudijs induſtrius, SAMVEL FAVLHABER Vlmenſis, 14. loco competitorum locatus, viuendo non attigit hodiernum diem: ſed initio menſis Auguſti, in patriam ad piam matrem ſuam tendens, ad cœleſte Magiſterium à Seruatore Chriſto promotus eſt, ſummâ iam illuſtratus ſapientia, & beatus. Aſtant tamen adhuc quadraginta vnus, digni laude, candidati. Quem numerum ſi inclytus Auguſtus Fridericus, de quo antea tot verba fecimus, cernere præſens poſſet: ô quanta admiratione corriperetur! Quantam voluptatem caperet! Quanto fauore proſequeretur! Exiſtimaret enim, eos eſſe tales Scholares: ad quos etiam ipſos, bona facientes, meritò pertineret beneficium illud pietatis: quo ipſe ſpeciali quadam dilectione, Scholares omnes ab omni iniuria defendi, in conſtitutione ſua voluit. Quàm felicem prædicaret Ducem Eberhardum: cuius non modò Maiores, in luculentam Sueuiæ partem feliciter ſucceſsiſſent: verùm ipſe etiam Eberhardus talem Academiam conſtruxiſſet: atque poſteri eius feliciter tuerentur, & commodis augerent: cuius conſtruendæ gratia, ſibi Imperatori Romano, à Deo data non fuiſſet! Quàm denique gratularetur nobis veræ Religionis, & erga Deum

εἰδωλοποιΐα, ſeu πλάσις, de Imp. Friderico.

Deum pietatis, vſum: ſedis Pontificiæ potentiâ, à qua ipſe tot ac tantis iniurijs preſſus fuiſſet, non mediocriter puro Dei verbo labefactatâ & deiectâ! Audiret, ſi adeſſet, conciones in Eccleſia diuinas piorum & eloquentium Chriſti miniſtrorum, maxima cum admiratione. Spectaret nunc in hoc celeberrimo auditorio, tot excellentes viros, tantam magnæ ſpei iuuentutem, promotionem tot ſecundæ laureæ candidatorum, cum ſummo gaudio. Diceret: Deum immortalem, quid video? Nihil ſimile meo ſeculo, nec ſuperioribus ſeculis, viſum eſt. In hunc modum, ille prudens & bonus.

Præſentes autem adoleſcentes (cùm Facultas noſtra nuper ex præſcripto Statutorum noſtrorum, illis, qui in artibus, in linguis, in ſcientijs Philoſophicis, ſtudiũ & operam ſedulò poſuiſſent: ſeſe diſputationibus, orationum ſcriptionibus, earum recitationibus, per legitimum tempus accuratè exercuiſſent: piè erga Deum, reuerenter erga Præceptores, honeſtè erga quoſuis, vixiſſent: his talibus cùm Facultas noſtra poteſtatem Magiſtrales honores petendi, publicè affixo programmate feciſſet) hi, inquam, adoleſcentes, primò priuatim apud Decanum Facultatis, deinde in Facultatis domo apud Præceptores, reuerenter comparuêre: nomina ſua, patriam, merita, expoſuêre: ſe ad examina vſitata admitti petierunt: atque, vbi locum ſuum quiſque, ad interrogata reſpondendo, ſatis tutati fuiſſent: Magiſterij ſe Philoſophici honore affici orauerunt. Examinati itaque ſunt priuatim per duas hebdomadas: examinati, impetrato reuerendi & digniſsimi D. Cancellarij conceſſu, publicè hebdomadem vnam. Quid multa? Factis ordine & rectè omnibus ijs: quæ è Statutis, & longa conſuetudine, requiruntur: exitus tandem is ſecutus eſt: vt honeſtiſsimæ petitionis ſuæ (conſentientibus Collegij Præceptorumque ſuffragijs) compotes fiant: Magiſtrique liberalium artium, venerandæque Philoſophiæ, in hoc ampliſsimæ dignitatis loco creentur, atque confirmentur.

Petitio Magiſterij.

Examina.

Decretum de Candidatis.

H Quam

Quamobrem hunc honorem, hoc rerum laudabilium teſtimonium (quò etiam apud ignotos plus auctoritatis habeant: nedum ſuis parentibus & cognatis dilectis, honori & gaudio ſint) iamiam eis publica renuntiatione, de voluntate benigna colendorum Collegarum meorum tribuam, & dicabo: vbi prius etiam à magno & clariſsimo viro: qui ſolus apud nos ταμίας, promus condus, huius beneficij eſt: poteſtatem eius rei impetrauero, & accepero.

Ad Cancellarium petitio.

Ad te igitur, reuerende & clariſsime vir, IACOBE HEERBRANDE, SS. Theologiæ Doctor, & eiuſdem in hac inclyta Academia Profeſſor celeberrime, Præpoſite Eccleſiæ noſtræ, Academiæq; Cancellarie digniſsime, ad te, inquam, me conuerto. Aperuit nobis, priuato examine abſoluto, reuerenda dignitas tua nuper publicum quoque examen: & de hodierno etiam die, quàm promptè nobis ad reliquum abſoluendum adfutura eſſet, benignam ſignificationem dedit. Opus autem nobis adhuc poteſtate illa eſt: qua extremo actui colophonem imponamus: quam ſola tua reuer. D. dare poteſt. Eam itaque poteſtatem (nempe honores Magiſterij publicè in hos egregios Candidatos conferendi) vt conceſſu ac munere tuo (ſemper de ſtudijs noſtris benè ſentientis, eaque ſtudioſè adiuuantis) nunc impetremus, & accipiamus: id verò tum Collegij mei honorandi, tum horum deinceps etiam bonæ ſpei iuuenum, nomine, reuerenter & officioſè rogo atque oro. In quo ſi nobis (quemadmodum bona ſpes nos tenet) gratificata fuerit reuer. D. tua: nouo, & prioribus maiore, nos beneficio affecerit: perpetuâ grati animi memoria id proſecuturos.

RE-

RESPONSVM D. CANCELLARII IACOBI *Heerbrandi.*

INGENS GRATIS ANIMIS AGNOſcamus beneficium: quòd filius Dei incarnatus, ſedens ad dextram patris æterni, vt ſalutares Eccleſiæ Doctores, ita quoque Gubernatores Rerumpublicarum, in Eccleſiæ ſuæ emolumentum excitat. Cuius illuſtre extat apud Iſaiam, Regium Prophetam, de futura gentium Idololatricarum, ad Chriſti Regnum conuerſione, oraculum: vbi inter reliqua quàm plurima, hæc quoque habentur verba: Reges erunt nutritij tui: & Reginæ, nutrices tuæ. Quibus verbis Spiritus S. non ſolùm de vocatione, & collectione Eccleſiæ noui Teſtamenti ex Gentibus, vaticinatur: ſed etiam (quod amplius eſt) futurum: vt Reges, Principes, & honeſtæ Reſpublicæ, hoſpitium Eccleſiæ in ſuis terris & ditionibus ſint conceſſuri: adeoque inſuper liberaliter quoque de ſuis facultatibus ſuſtentaturi: omniſque generis officia in eam collaturi. Quod factum eſſe, & impletum à pijs Impp. qui nomina ſua Chriſto dederunt, omnium temporum hiſtoria, à CONSTANTINO, nomine & re Magno, experientiâ docet ac teſtatur: & loquitur res ipſa, tot Epiſcopatus, Collegia Canonicorum, Monaſteria tot paſsim ampliſsima: quæ redditibus Regijs abundant.

Ieſa. 49. cap. Circa 833. ante Chriſtum natus: viuens adhuc 717. vt ex Chronolog. Funccij patet.

Imperauit Conſtant. Magnus ab anno 310. vſque ad 340. Chriſti.

Nec procul opus eſt accerſere exempla: cùm in hoc Ducatu ob oculos poſita videamus virorum Monaſteria XIIII. benè dotata: vt ex iſtis Collegijs viri docti, ad gubernationem Eccleſiæ & Reipub. idonei, prodirent: qui ſua eruditione præeſſent & prodeſſent alijs quàm plurimis.

Anno Domini 1477. fundauit: & 1496. obijt.

noſtram aperuit, fundauit, & ædificijs atque prouentibus ſufficientibus dotauit: quam & fatidico ſpiritu, FONTEM vitæ, ex quo omnis generis doctrinæ toti humano generi vtiles & ſalutares, ad omnes vitæ partes haurirentur, appellauit.

Anno 1535. Religioni operam dedit.

Hunc ſecutus, VDALRICVS Dux: qui primus Religionem veram & ſinceram, ſicut in hanc ditionem vniuerſam, ita in hanc quoque Scholam, inuexit: quam etiam redditibus annuis auxit & locupletauit.

Anno 1550. ſucceſſit.

Cui ſucceſsit filius, Dux CHRISTOPHORVS inclytus, inclyti patris ſoboles: qui numerum Studioſorum Theologiæ, à Domino parente inſtitutum, duplicauit: quadruplicauit in Monaſterijs: Scholis inſtitutis, trecentos paſsim aluit, & nutriuit: verus nutritius Eccleſiæ & Scholarum.

Natus 1. Ian. 1554. mortuus 8. Aug. 1593.

Quos inſecutus LVDOVICVS Dux p. m. non modò lactauit inſtar piæ matris: ſed & liberalitatis eximiæ ſpecimen edidit: à fundamentis extruendo maximis impenſis COLLEGIO NOVO.

Primus Collegij huius lapis, 7. Martij 1589. poſitus: duodecim Magiſtris ex illuſtri Stipendio Facultatis Theologicæ muſicè accinentibus. Cæterarum id Facultatum Studioſis extructum eſt.

Non minora nobis vt polliceamur de moderno illuſtriſsimo noſtro Principe, Duce FRIDERICO, facit: quòd celſitudo ipſius nuper, cùm adeſſet in funere funeſto & acerbiſsimo, illudque curaret: de clementi ſua erga Scholam hanc voluntate & amore, prolixè eſt teſtificata: quòd Scholæ huius ſe alumnum fuiſſe meminerit. Vnde eſt, quòd Deo Opt. Max. gratias, quas poſſumus, agamus ſummas: & pijs precibus petamus, vt eius celſitudinē, cum tota domo Vuirtembergica, ſaluos nobis & incolumes perpetuò conſeruet: hocque demus operam ſinguli ſedulò: vt ſtudia diſcentium pro virili noſtra parte iuuemus, eaque promoueamus: quò florentem, & ad poſteritatem omnem, ſaluam tranſmittamus ſinceram Religionis cœleſtem doctrinam: ſicut meſsis hæc Scholaſtica tam copioſa, ſpem nec exiguam, nec dubiam, nobis facit.

Quare cùm à me petatur: vt copiam & poteſtatem faciam Decano Collegij Philoſophici, conferendi titulum & honores Magiſterij hiſce QVADRAGINTA VNI: ego authoritate

ritate publica & ordinaria , qua fungor , tibi D. Magiſter MARTINE CRVSI, Collegij Philoſophici Decano, ius, copiam , & poteſtatem tribuo: titulum, gradum, & inſignia, Magiſterij Philoſophici , hiſce præſentibus Candidatis tribuendi.

Deum patrem liberatoris noſtri Ieſu Chriſti ex animo precor: vt veſtra ſtudia Spiritu ſuo ſancto dirigat ad gloriam nominis ſui ſanctiſsimi illuſtrandam: veſtram, & aliorũ multorum ſalutem & emolumentum. Amen.

Obtento itaque eo, quod voluimus (pro quo maximas etiam gratias digniſsimo D. Cancellario agimus : noſtraque ſtudia viciſsim gratè promittimus) nunc ego vos, honeſti & eruditi Candidati, compotes eius faciam, quod cupitis: vbi prius vſitato vos iuramento nobis omnibus , quorum intereſt, obſtrinxeritis : quod vobis à Notario Vniuerſitatis prælegetur. Decan.

RECITET NOTARIVS.

PROMITTENT Candidati: velle & in poſterum obedientiam & venerationem ſe præſtare Rectori Vniuerſitatis Scholæ huius, D. Cancellario, Decano ac Conſilio ſtudij artium: nullum legitimum detrectare imperium: pro virili ſua, commoda cùm Vniuerſitatis huius Scholæ, tum præcipuè ſtudij artium, omni tempore augere.

Iuſiurandum, à Notario D. Andrea Vualcho prælectum.

Nunc igitur pro auctoritate, quam antea priuatim Collegium , nunc autem etiam publicè digniſsimus D. Cancellarius, mihi dedit: vos ego, honeſti doctique iuuenes (quod felix fauſtumque ſit) omnes & ſingulos, artium Philoſo- Decan.

Creatio Magiſtro-

nique & ornamenta huius ordinis omnia (publicè præſertim docendi bonas artes & ſcientias, atque Auctores probatos interpretandi: vbicunque conditiones, Deo ducente, nacti fueritis) vobis concedo & permitto.

Quæ vt eò robuſtiora & certiora ſint: etiam confirmabo, veluti ſigillis, cæremonijs & ſignis vſitatis. Quæ interim Cæremoniæ. conſtantis quoque ſtudij, maioriſque in omni pietate, honeſtate, doctrinaque, diligentiæ, vos commonefaciant: idque non minus, quàm cerei ardentes: qui prægeſtari à pueris, veſtitu cultiore auroque ornatis, ſolent Candidatis: vt hi quoque alijs hominibus, virtute & doctrina præluceant.

1. Librorum traditio. Primò igitur libros vobis aperio, apertoſque trado: qui vos admoneant, poteſtatem vobis docendi datã eſſe. Oportet autem διδάσκειν ἀνεπιφθόνως (vt in Epiſtolis D. Baſilij eſt) ϗ μανθάνειν ἀνεπαισχύντως: docere, nihil inuidiã celando: & diſcere, alios etiam audire non erubeſcendo. Ac bonum eſſet, neminem, niſi bonum teſtimonium habentem, & libros à pijs & doctis accipientem, ad docendum admitti.

Libri deinde vos moneant: ne poſt Magiſterij gradum, libros in angulum abijciatis: ſicut non rarò adoleſcentes, poſtquam ex particulari Schola ad vniuerſalem venerint: præcepta Grammaticæ obliuioni tranſmittunt, tanquam ſpinoſa & inutilia: aut, tanquam ipſi in arce iam Latinitatis ſedeant. Vos verò, ſicut libris hactenus audiendis & legendis, ad hodiernos honores perueniſtis: ita poſthac etiam librorum adiumento, ceu fidelium Conſiliariorum, tum partam eruditionem vobis tuendam eſſe, tum maiorem doctri-Porphyr. 2. Serm. Horat. Sat. 1. ex Ariſtoxeno. nam comparandam, mementote. Poëtria certè Sappho, & Alcæus Poëta, annis ante Chriſti aduentum ſexcentis celebritate eruditionis clari, libros ſuos loco ſodalium habebant.

Plato Epiſt. 9. Cic. Offic. 1. Ad hæc, diligenter etiam atque etiam cogitandum vobis eſt: ea, quæ ex libris didiciſtis, non retinenda vobis ſolis

eſſe:

eſſe: ſed cum alijs etiam (quia non ſolùm nobis nati ſumus) communicanda: atque ad vſum Eccleſiæ reiq; publicæ conferenda. Memores eſtote illius, quod D. Fridericus in conſtitutione ſua dicit: Scholarium ſcientiâ Mundum illuminari: & ad obediendum Deo, Magiſtratibusque Dei Miniſtris, vitam Subiectorum informari. Abſit autem à docendo οἴημα ϗ τῦφος: vana, & inſtar fumi in cerebrum aſcendens, perſuaſio eruditionis. Vtrunque vitioſum eſt: & ἐπιφθόνως, cum inuidia: & ὑπερηφάνως, cum ſuperbia, docere.

Deinde, annulos aureos digitis veſtris induo. Magna hæc dignitas eſt. Olim enim apud Romanos, tantùm Senatoribus & Equitibus, aureorum annulorum ius erat. Horum etiam vſum libertus ab Imperatore accipiebat: &, qui acceperat, ingenuus habebatur. Sic vos, qui principiò quaſi ſerui propter ruditatem literarum eratis: nunc inter ingenuos, & quodammodo nobiles, aureis annulis recepti eſtis. 2. Annulorum. Zonar. Tomo 2. Scripſit ab initio Mundi, vſque ad 1117. Chriſti. 40. Digeſt. 10.

Sicut auro quoque nullum nobilius metallum cenſetur: ita nec liberali eruditione, quam ſinceritas religionis, vitæque innocentia, excolit & munit, excellentius in præſenti vita quicquam eſt.

Quemadmodum denique annulus eſt rotundus: ita vos rotunditatem Vniuerſitatis rerum, ſiue Mundi, animis veſtris cogitate: vt inde Dei omnipotentiam, ſapientiam, & erga humanum genus beneuolentiam, magis intelligatis: atque ipſi etiam rotundi eſſe, id eſt, tanto Opifici ac domino, per omnia placere, ex præſcripto Verbi eius ſtudeatis.

Poſtremò, pileis capita veſtra tego. Libertas enim, hoc inſigni quondam denotabatur. Exemplo eſt illud, quod Tyranni Neronis interitu Romæ cõtigit. Hoc .n. immaniſsimo monſtro ſublato: plebs pileos ſumpſit: ſignificans, ſe teterri 3. Pileorum. Sueton. Neronis 57.

Luc. 21. Joan. 8. Præterea moneant vos pilei: vt ſemper caueatis à crapula & ebrietate, curisque huius vitæ. Nam qui his eſt addictus, ſeruus eſt. Turpe autem eſt, peccatis ſeruire: ſed vtilitatibus proximi inſeruire, laudabile eſt. Sic etiam, omni rei honeſtæ ſeruire: Nam hæc non potius ſeruitus, quàm libertas, & decus inæſtimabile, eſt.

ἡ ἐλευθερία, ἀδιατίμητον πρᾶγμα.

Ad extremum, protectionis diuinæ, tanquam pileorum capita tegentium, mementote, in omnibus rebus aduerſis. Fidelis eſt Deus, qui non ſinit nos tentari ſuprà, quàm poſſumus ferre. Dat is cum tentatione exitum: vt euadamus, nec cruci ſuccumbamus. Inſignis XCI. Pſalmi mementote: in quo dicitur: Qui habitat in adiutorio Altiſsimi: in protectione Dei cœli commorabitur. Super aſpidem hic, & baſiliſcum, ambulabit: & conculcabit leonem ac draconem. Quoniam in me ſperauit (inquit Dominus) liberabo eum: protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.

1. Cor. 10.

Concluſio extrema. Feci hactenus ego omnia: quæ ratio mei officij requirebat, pro virili parte mea. Adoleſcentes XLI. Magiſterij honoribus affeci: decus & gaudium ſenectuti meæ non paruum. Maior quidem gloria eſt, equites aurigeros ab Imperatore Romano creari (vt, cùm M. CCCC. LII. anno, Romæ à Papa Fridericus III. corona Imperiali inſignitus: mox in ponte Tiberino, nobiles circiter CCC. equeſtri dignitate ornauit) maius quidem ornamentum eſt, inquam, ab Imperatore Equites creari: ſed difficilius, & longiori tempore, eruditio, præmiumque ei debitum, comparatur: eruditique homines, fulcimenta ſunt & Imperatorum, & Equitum auratorum, adeoque Imperij Romani. Id quod etiam noſter I. Fridericus grato animo agnoſcens: tum illuminationem Mundi, tum erga Deum hominesque Imperatores obedientiam Subiectorum, Scholaribus acceptam refert, quemadmodum audiuiſtis. Cùm igitur ego partibus meis huc vſque perfunctus ſim: iam etiam Deus Opt. Max. faxit, ornatiſsimi Magiſtri: vt ſcientiâ Mundum vos quoque (ſicut illi, qui tempore Imp. Friderici viuebant, Scholares) illuminetis: & ad obediendum Deo ac Magiſtratibus, Subiectos informetis:

Equitûm auratorum creatio.

tis: quò ipſi Deo grata, hominibus vtilia, vobis veſtriſq; honorifica, faciatis: benefico ſanctiſsimæ, & ſolius adorandæ Trinitatis munere atque dono. Amen.

Iam primus veſtrum, dicendo ſpecimen aliquod breue eruditionis ſuæ det: atque, qui ei reſpondebit, itidem breuis ſit. Tempus enim bona ex parte præterijt. Deinde aliqui proximi, eodem modo breuiter dicant. Tum Gratiarum actor finem imponet: noſq; hinc in Templum, Deo gratias acturi, & ei nos amplius commendaturi, ibimus. Poſtremò cibum modeſtè, pro præſentiũ temporum triſtitia, in hoſpitio coronæ, tanquam Deo noſtras actiones intuente, capiemus. Specimen nouorum Magiſtrorum.

Promotio hæc, ad 22. quidẽ diem Aug. deſtinata 28. Iul. die fuerat: ſed propter luctũ, ex obitu illuſtriſsimi noſtri ſanctæ memoriæ Principis ac Domini, Domini Ludouici (ſuſceptum communiter ab omnibus) exitum modò die 5. Septemb. 93. feliciter in Aula Philoſophica cepit. Theologica enim, nondum tunc exornata & perfecta erat. Rectorem Academiæ D. Ioannes Halbritter, Iuris vtriuſque Doctor & Profeſſor, gerebat.

INTERFVERVNT ILLVſtres adoleſcentes.

D. Chriſtophorus, & D. Albertus Otho, Comites in Solms, Müntzenbergk, & Sonnenuualdt.
D. Gottfridus, Comes ac dominus in Caſtell.
D. Conradus, ac D. Henricus, Barones in Limpurg, S. Rom. Imperij pincernæ hæreditarij, & ſemper liberi.
D. Henricus Hermannus Schutzſper, liber Baro in Burgmiſchlingen & Vuillhernesdorff.
D. Theodoricus, liber Baro ab Aurſperg.
D. Henricus Conradus Vuentzelyk, Baro à Sarabitz in Triſch.
ἀκροατὴς Ὁμήρου καὶ Θουκυδίδου.
D. Sigiſmundus Matthias Vuentzelyk, B. à Sarabitz in Triſch, prioris frater.
D. Gratia Dei, & D. Georgius Fridericus, à Spaur, Domini in Pflaumb, Comitatus Tyrolenſis pincernæ hæreditarij, fratres.
Generoſi Domini Hohenfelderi, Vuolfgangus, Ludouicus, & Marcus: ac D. Georgius Acacius Enenckel.

Multi præterea (vltra Profeſſores, Doctores Magiſtroſque) Doctores alij, Magiſtri, Baccalaurei, Studioſi nobiles. & alij:

EIVSDEM M. CRVSII
EPITAPHIA.

I. IN IMP. FRIDERICVM Abenobarbum.

Ἕρμα θέμιστος, ἄγαλμα φρενὸς, λάτρευμα θεοῖο,
Ῥωμαΐδιο κράτους πρόβολος, πολέμου τ' ἀλάλαγμα,
Ἀρχιερεῦσι φόβος τύρκοις τ', ἄλκαρ τε σοφοῖσι,
Συηβῶν ἀγλάϊσμα, ΤΥ'ΡΩι ΦΡΙΔΕΡΙΚΟΣ ἐκρύφθη.

IVSTITIAE cultor, prudens, pietatis amator,
Imperij fulcrum Romani, fortis in armis,
Papis & Turcis terror, fautorq; Scholarum,
Suenorum lux clara, TYRI FRIDERICVS humatur.

II. IN AVGVSTAM BEATRICEM, Imp. Friderici Ahenobarbi coniugem.

Σώματος ἠδὲ φρενῶν κάλλει νικῶσα γυναῖκας:
Καὶ τὸ γένος κοσμοῦσ' ἀρετῇ, τεκέεσσί τε καλοῖς:
Εἴν ἀγαθῇ τε κακῇ τε τύχῃ τίνουσα τὸν ἄνδρα:
Κεῖθ' ὧδ' αὐγούστου Φριδερίκου πότνια ΒΕΑ'ΤΡΙΞ.

FORMOSA facie præſtans, animoq; venuſto:
Atque domum decorans virtuteq;, proleq; pulchra:
Aduerſis lætisq; viro comes optima rebus:
Cæſaris hîc recubat Friderici chara BEATRIX.

EADEM